CENTRALE V. E. II

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
1 E
4
1381

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52
a
15

53.
a.
2.

PHILOSOPHIA
NATVRALIS
GVILIELMI
OCCHAM
Angli Min. Con.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
FRANCISCO MARIAE
CARDINALI BRANCACCIO
DICATA.

A M. F. Bonauentura Theulo Veliterno Ord. S. Franciſci Min. Conu. Sec. et Aſſiſt. ad Scholaſticorum commodum in lucem edita.

Romæ, Typis Io: Baptiſtæ Robletti. M. DC. XXXVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

FRANCISCO MARIÆ

CARDINALI BRANCACCIO.

BIBL

REVIVISCIT, Eminentiſsime Princeps, auras te adſpirante vitales, iterum aſpicit lucem, te irradiante, Guilielmus Occham Anglus Scoticæ quondam Pœcilis, vel ſolus plenum auditorium. Non equidem ille iratus, qui paucos olim ſomniauerat dies, ſed planè pacatus, qui plures vigilauit noctes. Quidni Nominalium Princeps ſub inclyto tuo nomine reuiuiſcat, & refloreſcat, qui vixit, & floruit in Franciſcana Republica, viuente, & florente Chriſtiano Orbi Thoma Cardinali Brancaccio Eccleſiaſticę Hierarchię tùm ſydere fulgentiſſimo. Agnoſcit propitia ſibi lumina, nullam ideo timet temporum iacturam, nullum tenebrarum detrimentum. Latuit, & iacuit ſanè diù, nempè Sol poſt denſiſſimos turbines, poſt horridam noctem ſplendidior exoritur. Elanguit aliquot ſęculis; ſic plantę poſt rigidam brumam, verno redeunte anno germinant lętiores. Fortè vergebat ad interitum, at Phœnix in rogo renouat vitam, producit ætatem. Eſto Tu illi tantum Tutelaris: quem tria ſæcula intercipere non potuerunt, Brancacciorum Leoninis armatum vnguibus inuidorum Branchię lacerare non audebunt, & Cynicorum Bronchi adlatrare non pręſument. Ità viuas, floreaſquè diù.

Fr. Bonauentura Theulus Veliternus.

AD LECTOREM.

EX Subtiliſſimi Ioannis Scoti auditoribus, qui Franciſcanam Religionem ſplendore, honore, & Orbem fama cópleuerunt, vnus fuit Guilielmus à Villa Occham ingenio, atquè doctrina eximius. Deprehẽdat quis eius Theologię, aut Philoſophię Opera attẽtiore ſtudio coluerit. Agnoſcunt melius ij (et noſtra quidem tempeſtate) qui huius Sapientiæ fructibus adlibatis germina in propria viridaria transferre geſtiunt, videlicet ſe ſe nouæ ſententiæ, ac opinionis Choriphæos exiſtimantes, et prædicantes, quas vetuſtiſſimas, vt eſt videre, ab hoc vno Guilielmo penitus mutuarunt. Infęlicia ſanè tempora, quibus neſcio an multorum incuria, an labore non paucos èx commendatiſſimis Scriptoribus noſtris obliuione ſepelire conati ſunt, quam inter cæteros hucuſquè etiam pati coactus Occhamus, iterum tandem in apertam lucem prodit, me non tam ſeruo prælucente, quàm commiſerante tanti Viri aduerſantem fortunam, qui diutino oppreſſus ſqualore, ac tenebris iacebat. Hanc vnam itaquè ob cauſam eius Operibus (pręmiſſa naturali primùm Philoſophia) euulgandis me applicui, vt Virum olim Scholis celebrem à tanta iniuria, quantum licet, vindicarem. Hunc non in omni Scoto inſtitutori ſuo concordem ſcito te reperturum: atquè inde diſce, nos eidem non adeò obligari, quin et alteri liceret ſententię, cum veritati germanior videretur, calculum exhibere, nec indecere poſteriores ſequaces, quod intimo placuit diſcipulò. Ni velis dicere, quia non melius impugnatur quàm à Scotiſta Scotica Veritas, propterea Occhamum ſtuduiſſe, vt aduerſarijs non vulgariter fàueret, noſtræ ſcilicet Arcis acceſſus patefaciendo, et eoſmet tot veluti telis, quibus ſcirent aptius confodere, inſtruendo, quot rationum ponderibus eas, quibus patrocinatur Sententias firmat, et argumentorum momenta nititur propellere. Vtcunquè ſit, beneuole Lector, debiti Officium mei, quæſo, boni conſule, et reliqua eius Opera, præcipuè Logicalia, Quodlibeta, Quatuor Sententiarum, de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento non multo poſt expectato. Vale.

Fr. Io:Baptiſta Larinen. Art. & Sac. Theologiæ Doctor Vniuerſi Ordinis Sancti Franciſci Min. Con. Miniſter Generalis.

Dilecto Nobis in Domino Patri Fratri Bonauenturæ Veliterno, eiuſdem Ordinis Doctori Theologo, Secret. & Aſsiſt.

SVMMVLAS Magiſtri Guilielmi de Villa Occham Anglici Ordinis Minorum Conuentualium in Libros Phyſicorum, ſeruatis ſeruandis iterum typis demandari valeat, licentiam concedimus, & elargimur. in fidem &c. Datum Romæ die 15. Martij. 1637.

Fr. Io:Baptiſta Miniſter Generalis.

Locus ✝ *Sigilli.*

Fr. Franciſcus à Maſsafra
Subſcriba Ordinis.

Imprimat. ſi videbitur Reuerendiſſ. P. M. S. Palatij.

A. Torniellus Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Hyacintus Lupus Mag. & Soc. Reuerendiſs. P. M. Sac. Palatij Apoſt. Ord. Prædic.

Reu. Pat. Magiſt. Dominici Rabellini Aſtenſis eiuſdem Ordinis.

AD OPVS

TETRASTICON.

SI Fratrem Pollux alterna morte redemit,
Quid prodeſt, obſes dum datus iſte fuit?
Scripta noua Theulus luci cum reddit, ab Orco
Occhamum reuocat, funere ſeque rapit.

Index eorum quæ continentur in hoc Opuſculo.

Primæ partis.

Cap. I. Scientia naturalis eſt vna vnitate ordinis,. pagina 1.
2. Philoſophię naturalis non eſt vnum ſubiectum. 2.
3. Scientia naturalis habet duas cauſas tantum. 4.
4. Scientia naturalis eſt ſpeculatiua pro maiori parte. 5.
5. Demonſtrationes naturales ſunt pro pluri quia, & non propter quid. 7.
6. Sex partes Philoſop. enumerantur. 8.
7. Materiam eſſe probatur, & formã. 8.
8. Quomodo materia, & forma ſe habeant ad generationem. 10.
9. Quod priuatio non ſit quid diſtinctũ à priuato. 10.
10. Quid ſit priuatio. 12.
11. Quam diſtinctionem habeat priuatio à materia, & forma. 12.
12. Duo tantum ſunt principia rerum naturalium ſecundum rem. 14.
13. Soluuntur dubitationes, quæ ſunt cõtra concluſionem ſupra poſitam. 15.
14. Quomodo principia naturalium ſint tria. 17.
15. Materia eſt res actualiter exiſtens in rerum natura. 18.
16. Probatur ſuperior concluſio. 19.
17. Materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. 21.
18. Materia eſt vna num. in omnibus. 22.
19. Quomodo materia ſe habeat ad quãtitatem. 23.
20. Quõdo materia ſit cognoſcibilis. 25.
21. Forma quid ſit. 25.
22. Quomodo forma, & materia principient res. 26.
23. Quomodo hæc duo ſe habent ad generationem. 27.
24. Quæſtio de formę inchoatione. 27.
25. Forma totius deſtruitur. 29.
26. Forma artis non diſtinguitur realiter à re naturali. 31.

Secundæ partis.

Cap. I. Cauſa materialis quæ dicatur, & quot modis. pag. 33.
2. Cauſa formalis quid ſit. 34.
3. Cauſa efficiens quid ſit. 35.
4. Cauſa finalis quid ſit, quõ cauſet. 36.
5. Impugnatur quædam diſtinctio de cauſa finali ſcientiarum. 38.
6. Naturalia agere propter finem probatur. 39.
7. Modi cauſarum narrãtur qui ſunt capitales quod quædam propinquiorũ & quædam remotior. 40.
8. Cauſarum quomodo quædam ſit per accidens, & quædam per ſe. 41.
9. Quomodo cauſarum quędam in potentia. 42.
10. Quomodo quædam ſit vniuerſalis, & quædam particularis. 43.
11. Fortuna quid ſit. 44.
12. Caſus quid ſit. 44.
13. An idem poſſit poni ſub diuerſis generibus cauſarum. 46.

Tertiæ partis.

Cap. I. Quod motus ſit in quatuor generibus. 47.
2. Mutatio non eſt res diſtincta à quolibet ſucceſſiuo ſecundum rem. 47.
3. Mutatio quid ſit. 49.
4. Soluuntur obiectiones, quę ſiunt contra terminiſtas. 50.
5. Quod motus non ſit res realiter diſtincta à re permanente. 52.
6. Motus quid ſit oſtenditur. 53.
7. Soluuntur inſtantiæ cõtra opiniõnem Occham. 54.

8. Generatio quid ſit explanatur. 56.
9. Motus localis quibus nominibus appelletur,& quotuplex ſit. 58.
10. Quid per motum localem acquiratur in eo, quod mouetur. 60.
11. Quomodo omnia corpora ſecundum locum moueri poſſint. 61.
12. Augumentatio,& diminutio,quid ſit, & quomodo fiat ſine acquiſitione nouę ſubſtantiæ. 61.
13. De augumentatione quæ fit cum additionę noue ſubſtantiæ. 64.
14. Alterationum diuiſio ponitur. 64.
15. Quod ad figuram ſit alteratio,& quõ figura nõ ſit res diſtĩcta à figurato. 65.
16. Soluuntur obiectiones contra ſuperius dicta. 67.
17. Quod ſecundum habitus ſpirituales non ſit alteratio. 69.
18. Quod ſecundum habitus corporeos non ſit alteratio. 71.
19. Quod ad ea quæ in anima intellectiua ſuſcipiuntur non ſit alteratio. 71.
20. Quod ad habitus animę non ſit alteratio. 73.
21. Quomodo audienda ſit Phil. ſentẽtia dicentis intellectum non alterari. 74.
22. Quomodo poſſit probari alteratio ſecundũ qualitates ſenſibiles eſſe. 75.
23. Quod ad ſubſtantiã non ſit motus 77.
24. Quod ad relationẽ non ſit motus. 78.
25. Quod in actione,vel paſſione non ſit motus. 79.
26. Quod in quatuor vltimis prædicamentis non ſit motus. 80.
27. Quod actio, & paſſio non ſint res diſtinctę ab agentibus,& paſſis. 81.
28. Quid ſit quies. 81.
29. Quis motus dicatur vnus. 82.
30. Qui motus alteri contrarietur. 83.
31. Quis motus altero velotior dici poſſit. 84.
32. Quis motus naturalis,& quis violentus. 84.

Quarta partis.

Cap. 1. QVod inſtans non ſit res realis, vt quidam credunt. 85.
2. Quod tempus non diſtinguatur realiter à qualibet re permanente. 86.
3. Quid ſit ipſum tempus. 87.
4. Ponitur ratio qua probatur diffinitio temporis. 89.
5. Quomodo tempus ſit, & qumodo nõ ſit. 89.
6. Cui motui non cõueniat tempus. 90.
7. Quem motum inſequitur tempus. 90.
8. Quid ſit inſtans. 91.
9. Obicitur contra determinata de tempore. 92.
10. Soluuntur obiecta. 93.
11. Soluuntur rationes. 94.
12. Soluuntur rationes contra dicta de inſtanti. 97.
13. Quæ non menſurantur tempore. 98.
14. Quę tempore menſurentur. 99.
15. Quã menſurã habeãt perpetua. 100.
16. Quomodo tempus reſpiciat animam. 101.
17. Quomodo tempus ſit cauſa corruptionis. 102.
18. Quod locus ſit in rerum natura. 102.
19. Enumerãtur ſuſpitiones de loco 103.
20. Quid ſit locus. 104.
21. Inſtantiæ ponuntur contra determinationem 106.
22. Solutio quomodo locus ſit immobilis. 108.

Finis huius Tabulæ.

SVMMVLAE MAGISTRI GVILIELMI DE VILLA OCHAM ANGLICI,

Ordinis Minorum Con. in Lib. Phyſicorũ

PROEMIVM.

STVDIOSISSIME ſepiuſq; rogatus à literatis quãpluribus, qui reſpóſiones, quas circa difficilia naturalis ſcientię ſoleo querentibus de mei ingenij paruitate differere ſibi aſſerunt complacere, & arbitrantur ſufficere, vt eas in vnam ſummulam recollectas veſtigiis Ariſt. inherendo literis commendarem, quorum ſtudio me cogit ſincera dilectio deſeruire. Opus magnum, & quod vires meas excedit, aggrediar; & quicquid mihi videatur iuxta principia Ariſt. in phyloſophia naturali eſſe dicẽdum, ſcribendo memoriæ commendabo. Vnde nouerint vniuerſi hoc opuſculum inſpecturi, quod non quicquid iuxta veritatem theologicam, ſeu catholicam teneo firma fide; Sed quicquid ſecundum intentionem Ariſt. vt mihi videtur eſſe dicendum ſtilo rudi, & inculto curabo petentibus aperire; quamuis pertractanda omnia inferius, quę veritati Chriſtianę fidei non repugnent, putem eſſe vera, tamen vniuerſa, quæ doctrinę Romanæ Eccleſiæ contradicunt, tanquam falſa reputo reſpuenda quare, &c.

Cap. Primum.

SOLENT Ante præambula indagare ſapientes: ante ſcientiæ ingreſſum de ipſis ſcientiis aliqua: quapropter circa Philoſophiam naturalem iſta per ordinẽ ſunt pertractanda. Primo de eius vnitate. Secundo de ſubiecto. Tertio de cauſis. Quarto cui parti ſupponatur Philoſophiæ: practicæ, an ſpeculatiuæ. Circa primum dico, quod hęc ſcientia ſecundum intentionem Ariſt. non eſt vna vnitate numerali per carentiam partium ſpecie diſtictarum; Licet poſsit dici vna numero vnitate cuiuſdam collectionis, vel aggregationis. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quod vnum numero ad pręſens poteſt capi dupliciter. Vno modo ſtrictè, vel propriè, & tunc dicitur vnum numero illud, quod eſt per ſe vnum, ſcilicet ſimplex, vt deus, vel intelligentia, vel compoſitum, cuius partes ſunt materia, & forma, vt homo, vel ignis, vel illud, cuius partes ſunt ſolo numero diſtinctæ, & non ſunt alterius rationis, & ſic iſta albedo eſt vna numero, & ſic de ſingulis. Secundo modo capitur vnum numero largè, & impropriè, pro illo, quod eſt vnum aggregatione multorum diſtinctorum, ſiue ſpecie, ſiue ſolo numero; dũ tamen non faciant vnum per ſe, quomodo aceruus lapidum poteſt dici vnus numero, quia eſt vnus aceruus, & non plures aceruì. Et iſto modo exponit Ariſt. tertio phiſic. & ſic poteſt dici, quod hęc domus eſt vna numero, & hoc regnum eſt vnũ numero, & hic populus eſt vnus numero, quia licet ſint plures homines non tamen ſunt plures populi. Et iſto ſecũdo

Quæ eſt ſciẽt ę naturalis vnitas.

Vnum numero multipliciter dicitur.

Tex. com. 68.

modo ſciētia naturalis eſt vna numero, & non primo modo. Quod autē nō ſit vna numero primo modo patet per hoc, quia vna pars adiſcitur ante aliā, in tantū, quod habita vna parte, circa aliam cōtingit errare, ita quod hæc ſcientia ſtat cum errore circa vna concluſionem, & ſtat cum veritate circa aliam, quod nō eſſet poſſibile, ſi noticiæ duarum cōcluſionum eſſent vna numero primo modo capiēdo vnum numero. Iſta ratio confirmatur ſic. Illa quę contrariātur primo duobus cōtrariis non ſunt eiuſdē ſpeciei ſpecialiſſimę, ſed duobus erroribus duarū contrariarū vniuerſaliū cōtrariātur primo noticiæ ſubcontrariarū, ergo illæ duę noticię ſubcōtrariarū non ſunt eiuſdē ſpeciei ſpecialiſſimæ. Secundo ſic, cauſæ eiuſdē ſpeciei ſpecialiſſimę æquè intēſè poſſunt immediatè in effectus eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimę, ſed ſcientia vnius concluſionis quamtūcunq; intendatur non poteſt in actum circa aliā concluſionē immediatè, ergo iſtę duę noticiæ non ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimę. Tertio actus diſtincti ſpecie habent habitus diſtinctos ſpecie correſpondētes eis, ſed actus circa diſtinctas concluſiones diſtinguuntur ſpecie, ergo, & habitus. Quarto ſic, ſi non obſtāte diſtinctione actuum poſſet habitus generatus ex illis actibus eſſe eiuſdē ſpeciei ſpecialiſſimę, tūc periret omnis via ad probandū diſtinctionem quorumcunq; habituum intellectualium. Dicere enim quod metaphiſica, & logica ſunt vnus habitus numero, quod argumentatur ex hoc, quod poſt logicā adiſcitur metaphiſica, eſt inconueniēs. Dico ergo, quod ſicut actus diſtinguuntur, ita, & habitus ex eis generati diſtinguūtur. Propter quod dico, quod ſicut alius eſt actus, quo cōſidero vnā concluſionē, & alius eſt actus quo conſidero aliam, ita, & habitus

Tex. com. 38.

correſpōdens eſt alius, & hoc eſt quod dicit Ariſt. 3. de anima, quod ſcientiæ ſecantur quemadmodum, & res, ideſt ſi res de quibus ſunt ſcientię ſunt diſtinctæ ſpecie, & ipſe ſcientiæ diſtinguentur ſpecie. Sic ergo dico, quod ſcientia naturalis non eſt vna numero primo modo, ſed ſecundo modo, quia eſt vna vnitate collectionis, vel ordinis, omnes enim partes iſtius ſciētiæ habent determinatū ordinem inter ſe qualem non habent cum logica, nec cum morali Phiā, nec cum aliqua alia ſcientia, propter quod dicuntur vna ſcientia, ſicut multi homines dicuntur vnus populus propter determinatum ordinem inter ſe, & multi homines ad vnum regem dicuntur vnum regnum numero, quare, &c.

Cap. Secundum.

SECVNDO Videndum eſt de ſubiecto huius ſcientiæ. Circa quod dico, quod iſtius ſcientiæ totalis non eſt vnum ſubiectum præciſe, ſed diuerſarum partium diuerſa ſunt ſubiecta· ſecundum, quod diuerſę ſunt concluſiones habentes diuerſa ſubiecta. Vnde ſciendum eſt, quod nihil eſt ſubiectum niſi, quod eſt ſubiectū concluſionis, vnde dicitur communiter, quod illud eſt ſubiectum de quo proprietates, & paſſiones oſtenduntur, vel demonſtrātur, ibi ergo ſunt diuerſa ſubiecta de quibus diuerſę proprietates, & paſſiones demonſtrantur, ſed manifeſtum eſt quod in ſcientia naturali de diuerſis ſubiectis, diuerſę proprietates, & paſſiones demonſtrantur, ergo in ſcientia naturali ſunt diuerſa ſubiecta. Pręterea hoc patet ex communi modo aſſignandi ſubiecta, nam communiter aſſignatur aliud ſubiectum libri Phiſicorum, aliud libri de Anima, & ſic de aliis, ergo habent diuerſa ſubiecta. Verum tamen hoc non obſtante, quod diuerſarum partium diuerſa ſunt ſubiecta, tamen inter omnia illa eſt aliquod primū ſubiectum, & ſecundū diuerſas primitates poſſunt aſſignari diuerſa ſubiecta prima, vnde aliquod ſubiectum dicitur prius alio primitate prædicationis. Aliquod dicitur prius primitate perfectionis. Aliquod dicitur prius primitate totalitatis. Primum ſubiectum primitate prædicationis ſciētiæ naturalis inter omnia ſubiecta poteſt dici ens naturale, compræhendendo ſub ente naturali, tam ſimplicia, quam compoſita, de quibus tractat Philoſophia naturalis. Primum ſubiectum primitate perfectionis eſt illud, quod ſignificat entia perfe-

Philoſoph. ſubiectum non eſt vnū

perfectiora, de quibus per ſe tractat Philoſophia naturalis, quodcunq; ſit illud, ſed primú ſubiectú primitate totalitatis nullú habet, quod patet, quia nullum ſubiectum cuiuſcunq; concluſionis ſignificat aliquid, vel aliqua, quod vel quę includit tanquam partes omnia cóſiderata in iſta ſciétia, niſi fortè dicatur, quod múdus ſit tale totum. Sed fortè obijcies contra prędicta, primo quia omnes auctores cuiuslibet ſciétię aſſignát vnum ſubiectú. Secundo, quia ſi ens naturale, ſecundú prædicta, quod cópræhendit omnia ſit primum ſubiectú huius ſcientię naturalis & ſubiectum methaphiſicæ cópræhenditur ſub ente naturali, ſequitur quod ſubiectum ſcientię methaphyſicę erit ſub ſubiecto ſcientię naturalis, & per conſequens ſcientia erit ſub ſcientia. Ad primú dicitur, quod auctores frequenter loquuntur de primis ſubiectis ſcientiarum, & cómuniter de primis ſubiectis primitate propoſitionis, vel totalitatis. In logica primum ſubiectú inter omnia dicitur ſillogiſmus, non, quia ſit ſubiectum cuiuslibet partis logicæ. Manifeſtum eſt enim, quod non eſt ſubiectum libri Prædicamentor. nec Periher. ſed quia ſyllogiſmus omnia alia compræhendit determinata in logica tanquá partes, ideo eſt primum primitate totalitatis. Similiter ens aſſignatur primú ſubiectú methaphiſicæ, quia eſt primú primitate propoſitionis ad omnia alia ſubiecta, cum tamen non ſit ſubiectú cuiuslibet partis, quia nó eſt ſubiectú illius partis, quę eſt de ſubſtátia, nec illius partis, quæ eſt de ſubſtátia ſeparata. Sed forte dices, ſi aliquod eſt ſubiectú primú alicuius ſciétiæ ſequitur, quod illud ſit ſubiectú illius ſciétię. Reſpondeo, & dico, quod intellectis antecedente, & conſequéte ſub bona intelligentia, non valet conſequentia iſta, ſicut nó ſequitur. iſte eſt prim. Rex mundi, ergo iſte eſt rex múdi, quia antecedens eſt verum, & cóſequés falſum, cú tantú ſit rex vnius partis mundi, ſic eſt de multis aliis, quod tales conſequétię nó valent. Ad ſecundú dico, quod poſſibile eſt, quod ſubiectú ſciétię ſit ſub ſubó. ſciétię, & tamé ſciétia nó eſt ſub ſcietia, & ideo cócedo, quod ſubiectú ſciétię methaphyſicæ eſt ſub ſubiecto ſciétię naturalis, & tamé ſciétia methaphyſicę nó eſt ſub ſciétia naturali, imò cócedo quod aliquid idé eſt ſubiectú methaph. vel partis methaphyſicæ, & ſciétię naturalis, vel partis ſciétiæ naturalis. Sed ſi quæratur quomodo, ergo ſciétiæ iſtæ diſtinguútur, vel ſút diuerſæ ſi habét idé ſubiectú. Dico, quod ad dinſtinctioné ſciárum ſufficit freqnéter diſtinctio paſſionú, vndè, quia alię paſſiones de eodé demonſtrátur in ſciétia naturali, & in methaphyſica, ideo ſunt diſtinctę ſcientiæ nó obſtáte idétitate ſubiecti, ſicut quandoq; poteſt cótingere, quod eædé paſſiones demonſtrátur de diuerſis ſubiectis, & túc nó obſtáte idetitate paſſionú poterút eſſe diuerſæ ſcientiæ propter diuerſitatem ſubiectorú, & cauſa huius eſt, quia identitas, vel diuerſitas ſcientiæ non tantú dependet ex identitate, vel diuerſitate ſubiecti, ſed etiá ex idétitate, vel diuerſitate prędicati, & hoc eſt quod aliqui volút dicere forte, quod de eodé ſubiecto ſub eadé ratione non poſſút eſſe diſtinctę ſciétię. Si enim intelligát per eandé rationé idem prædicatum, vt ſit iſte ſenſus, de eodé ſubiecto, & prædicato non ſunt diſtinctę ſcientię, verú dicút, ſi autem intelligant per eandem rationem aliquid à parte ſubiecti, nó autem à parte prędicati non dicunt verum. Et ſi dicas, quod ſecundú Ariſt. ſicut prius allegatum eſt, ſcientię ſecátur, &c. ergo de eadem re nó poſſunt eſſe diſtinctæ ſcientię. Dico quod cótraria nó valet, vnú ſignanter dicit Ariſt. quod ſcientię quemadmodum, & res, quia ad diuerſitatem rerum ſignificatarú per ſubiecta ſequitur diſtinctio ſciétiarum, & non e cóuerſo, de eodem .n. ſubiecto propter diuerſitatem paſſionum demonſtratarú poſſunt eſſe ſcientię diſtinctę. Sed adhuc oritur dubitatio. De quibus eſt ſcientia nauralis an ſit de rebus cótingentibus, & corruptibilibus, vel de neceſſarijs Ad hoc dico, quod ſcientia naturalis eſt tàm de rebus neceſſarijs, ſicut de corporibus coeleſtibus, quá etiam de corruptibilibus, ſicut de iſtis inferioribus ſecundú quod ſunt partes huius ſciétię diſtinctę.

Quomodo de quibus ſit ſcientia natural.s.

Sed contra hoc videtur eſſe intẽtio Ariſt primo poſteriorum, vbi vult, quod ſciẽtia eſt de neceſſariis, & perpetuis, & de incorruptibilibus. Ad hoc dico breuiter, quod nõ eſt intẽtio Ariſt. primo Poſt. quod sẽper res ſignificatæ per ſubiectum cõcluſionis ſcitę ſint neceſſariæ qualitercunq; conſiderentur, quia conſideratio intellectus nihil facit ad hoc, quod res ſit neceſſaria vel contingens. Sed intelligit, quod concluſiones ſcitę in quacunq; ſcientia ſunt neceſſariæ, & perpetuę, & incorruptibiles hoc eſt, quod nunquam poſſunt eſſe falſæ, ſed ſemper ſunt verę ſi formentur. Vnde ſciendum eſt, ſicut de eiſdem terminis poſſunt formari propoſitiones veræ, & falſę, contingentes, & neceſſariæ, poſsibiles, & impoſsibiles. Similiter de eiſdem terminis poſsũt formari propoſitiones ſcibiles, & nõ ſcibiles, nulla variatione facta circa rẽs, & ideo non obſtãte, quod res ſignificatę ſint ſimpliciter cõtingentes, & corruptibiles, et nullo modo neceſſarię, nec incorruptibiles: tamẽ de eiſdem, ſcilicet de terminis ſignificãtibus ipſas, vel ſupponentibus pro ipſis rebus poſſunt formari propoſitiones ſcibiles, & neceſſarię, ſicut frequentius propoſitio de ineſſe eſt cõtingẽs, & de poſsibili ex eiſdem terminis eſt neceſſaria, quamtumcunq; res ſignificatę ſint eędem, ſicut hęc eſt contingens, omne corpus mouetur, & hæc eſt neceſſaria omne corpus poteſt moueri.

Cap. Tertium.

Tex. Com. 28.

TERTIO Videndũ eſt de cauſis iſtius ſcientię & dico quod capiendo ſtrictẽ hoc nomen cauſa, ſicut accipit Ph. ſecundo Phyſ & quiitito meth. iſtius ſciẽtię non ſunt niſi duæ cauſę, ſcilicet efficiens, & finalis, cuius ratio eſt, quia ſic capiẽdo cauſam nulla res ſimplex non cõpoſita ex materia, & forma habet plures cauſas quã duas, quia res ſimplex non habet materiã, neq; formã, quod patet ex hoc, quia ſi ſit res ſimplex, aut eſt abſtracta à materia, & per ſe ſubſiſtens, & de tali manifeſtum eſt quod non habet materiam, nec formam, aut eſt res alteri inhęrens, & tũc eſt quędã forma non habens aliã formã, aut eſt pars alicuius compoſiti, & tũc eſt materia, vel forma, & per conſequẽs non eſt habens materiã, vel formam. Si enim ſit materia, licet habeat formã, non tamen habet eam ſicut cauſã, quia forma non eſt cauſa materię, ſed cõpoſiti ſecũdum Auic. nec habet materiã ſicut cauſam, ſed eſt ipſamet materia. Si autem ſit forma, tũc nõ habet materiã, ſicut cauſam, nec habet formã, manifeſtũ eſt, cum ſit forma. Patet ergo quod nulla res ſimplex habet materiã, & formam tanquam cauſas ſuas, ſed iſta ſciẽtia eſt ſimplex, cum ſit accidens. ergo &c. Et ſi dicas, iam dictum eſt prius, quod iſta ſcientia eſt compoſita, ergo non eſt ſimplex. Dico quod non eſt cõpoſitã per ſe, quod requiritur ad hoc, quod aliquid habeat materiam, & formam, ſed eſt cõpoſita ex collectione, & aggregatione quadam, propter quod dicendũ eſt, quod iſta ſciẽtia nõ habet niſi duas cauſas, quia omnis cauſa, aut eſt extrinſeca, aut intrinſeca: Si ſit extrinſeca ſic eſt efficiens, & finis. Si intrinſeca, ſic eſt materia, & forma. Sed iſta ſcientia non habet materiam, & formam tanquam cauſas intrinſecas, quia tũc componeretur ex eis, ergo non habet niſi cauſas extrinſecas, ſcilicet efficientem, & finalem. Dicendũ eſt ergo quod hæc ſcieıtia propriẽ loquẽdo cum ſc. . ccidens non habet niſi ſolam cauſam efficientem, quæ eſt intellectus ſecundũ aliquos, vel obiectum ſecundũ alios, vel notitia terminorũ incomplexa, ſecundum quoſdã, vel aliqua iſtarum ſimul. vel aliquid aliud, de quibus opinionibus non eſt modo dicendum. Finis autem iſtius ſciẽtię eſt illud propter, quod in:ent ú ádd ſc!tur, & producitur iſta ſcientia, ſine quo nõ eſſet iſta ſcientia. Hęc dicta ſunt de cauſis iſtius ſcientię ſtrictẽ, & propriè loquẽdo dẽ cauſa, ſcilicet pro illo à quo depẽdet in eſſe, vel in fieri. Iſtis tamen non obſtantibus aſsignãtur quattuor cauſę iſtius ſciẽtię, ſicut cuiuslibet alterius, ſicut cauſa materialis iſtius ſcientiæ eſt res de qua tractat.

tractat hęc ſcientia, quę res tamen nō eſt proprie materia, cum res nunquam poſſit eſſe ſine ſua materia, poteſt tamē iſta ſcētia eſſe ſine tali re, ſicut propoſitio neceſſaria poteſt formari de re non exiſtente. Cauſa formalis aſſignatur modus procedendi, qui tamen non eſt propriè cauſa formalis, cum non ſit aliqua res alia ab iſta ſcientia, ſed eſt tantū ipſę partes ſciētię ſic ordinatę. Cauſa efficiens aſſignatur Doctor primo docens ſcientiam iſtam. Cauſa finalis aſſignatur illud propter quod addiſcens eam, vel ſtudens in ea debet ſecūdum rectam rationem eam addiſcere, quamuis quandoque ex peruerſitate, vel neceſſitate, vel alia de cauſa aliquem alium finem intendat, vt notum eſt omnibus, quare, &c.

Cap. Quartum.

Praxis quid ſit.

QVARTO Quęritur an iſta ſcientia ſit pratica, vel ſpeculatiua. Ad quod dico, quod iſta ſcientia, vel tota, vel maxima pars eſt ſpeculatiua. Ad cuius euidentiam videndum eſt primo quid eſt praxis, & quid notitia practica, ex quibus patebit intentum. Eſt autem praxis à qua dicitur notitia practica operatio exiſtens in noſtra poteſtate; iſta deſcriptio probari non poteſt, ſicut nec ſignificatio alicuius vocabuli, ſed conſiderantibus modum loquēdi auctorum clara eſt, omnes enim capiūt praxim à qua dicitur notitia practica pro actu humano, vocantes actum humanum actum exiſtētem in hominis poteſtate propter quod diuidunt praxim, in praxim ſimpliciter, & in eupraxim, ſicut patet primo Eth. per hoc innuentes praxim virtuoſam, & vitioſam. Operatio autē vitioſa, & virtuoſa nō eſt, niſi operatio exiſtens in noſtra poteſtate, & quelibet operatio exiſtens in noſtra poteſtate eſt praxis. Notitia, vel ſciētia practica eſt notitia, vel ſcientia, quæ eſt de noſtris operationibus, capiendo operationes, tam pro operationibus quę ſūt in noſtra poteſtate, quā pro operationibus quæ operatæ ſunt à nobis, ſicut ſūt domus, & alia opera mechanica, iſta autē deſcriptio ponitur ab Ariſt. primo ſuę methaphyſ. vbi per hoc diſtinguit ſcientias ſpeculatiuas à practicis quia ſpeculatiuę ſunt illæ, quæ ſunt de his quæ nō ſūt de operibus noſtris, & practicæ ſūt illæ quæ ſūt de his, quæ ſunt opera noſtra. Ex iſto patet, quod ſciētia naturalis, vel tota, vel pro maiori parte eſt ſpeculatiua, & nō practica, quia pro maiori parte, vel tota eſt de illis, quæ non ſunt opera noſtra, ſicut ſūt, Terra, Cælū, Elementa, & corpora celeſtia, de quibus tractat. Quia vero tractat de aliquibus operibus noſtris, cuiuſmodi ſunt intellectiones, & ſēſationes de quibus tractat in lib. de Anima, & de ſenſationibus, quæ quandoq; ſunt in poteſtate noſtra, virtute cuius notitię citius, & facilius, vel melius poſſunt elici tales actus, quātum ad iſtam partem ſcientia naturalis eſt practica. Sed forte obiicies cōtra prędicta primo, quod praxis non conuenienter deſcribitur quia ſi ſic ſequeretur, quod pura ſpeculatio eſſet praxis, cum ſit in noſtra poteſtate, &c. Secundò ſequeretur, quod logica, Rethorica, Grammatica, eſſent ſcientiæ practicæ, cum iſtæ ſint de vocibus, quæ ſunt in noſtra poteſtate. Tertio ſequitur, quod aliqua ſcientia ſpeculatiua eſſet ſub practica, vel è conuerſo, quia aliquando opera noſtra continētur ſub ſubiecto alicuius ſcientiæ ſpeculatiuæ, & per conſequens ſcientia ſub ſcientia. Ad primum iſtorum concedo quod pura ſpeculatio eſt praxis, ſicut illa quę eſt in noſtra poteſtate. Vnde ſi ſit aliquādo ſpeculatio aliqua quę non ſit in noſtra poteſtate illa non eſt praxis. Ex quo ſequitur, quod eadē operatio numero, vel ſpecie quādoq; eſt praxis quandoq; non eſt praxis ſicut locutio in furioſo non eſt praxis, ſed in vtente ratione eſt praxis. Similiter ſpeculatio, vel cognitio prima pręcedens omnem actum voluntatis non eſt praxis, ſed ſi mediante actu voluntatis illa eadem conſeruetur, tunc erit praxis. Quod autem ſpeculatio ſit praxis oſtendo, primo, quia operatio reſpectu cuius poteſt eſſe electio, &

Cap. 1.

3. De anima vſq ad finem. 3. deſcribitur definitio praxis.

Contra Scotum.

conſi-

conſilium eſt praxis, ſed pura ſpeculatio eſt talis, quia reſpectu eius poteſt eſſe electio, & conſilium, poteſt enim aliquis deliberare, & conſiderare, an ſit ſpeculandum, vel dormiendum, vel aliud faciendum, & poſt conſiderationem poteſt eligere ſpeculari, ergo illa ſpeculatio erit praxis. Item illa ſpeculatio eſt praxis, quæ poteſt fieri rectè, & non rectè, virtuosè, vel vitioſè, huiuſmodi eſt aliqua ſpeculatio, aliquis enim ſpeculatur vitiosè, aliquis virtuosè. Pręterea illa operatio, de qua eſt notitia practica, eſt praxis; ſed de ſpeculatione eſt notitia practica, ergo ſpeculatio eſt praxis, maior eſt manifeſta, minor probatur, quia notitia dictans eſſe ſpeculandum, & ſpeculationem eſſe eligendam, eſt veritas conformiter ſe habens appetitui recto, ergo eſt practica. Ad ſecundam rationem concedo, quod grammatica, rethorica, logica, ſunt verè ſcientiæ practicæ, ita verè ſicut artes moechanicæ ſunt practicæ. Ad cuius euidentiam eſt notandum, quòd duplex eſt notitia practica, vna dictatiua, quæ ſcilicet aliquid eſſe eligendum dictat, vel dimittendum, & ſic prudentia, & moralis philoſophia eſt practica. Alia eſt notitia practica tantum oſtenſiua, quæ ſcilicet docet, qualiter res poteſt fieri, vel debeat fieri, ſi aliquis vellet eam facere, non tamen dictat eam eſſe faciendam, vel fiendam, & ſic artes moechanicæ ſunt practicæ, nunquam enim ars ædificatiua dictat, quod eſt ædificandum, ſed tantùm docet, quod ſi aliquis vellet ædificare, debet ex talibus, & taliter ędificare, & iſto ſecundo modo capiendo notitiam practicam, grammatica, rethorica, logica, ſunt notitiæ practicæ, & non primo modo. Nunquam enim logica dictat, quod eſt ſyllogizandum, ſed docet quod ſi quis velit ſyllogizare, debet primo pręmittere maiorem, ſecundo minorem, tertio concluſionem, eadem ratio eſt de grammatica, & rethorica. Sed ſi dicas contra, quia notitia practica eſt directiua noſtri operis, ſed logica eſt vniuerſalis notitia non directiua noſtri operis, ergo non eſt practica. Dico quod talis notitia eſt directiua noſtri operis, non tamen ſine volitione contingente; ſed ipſa concurrente eſt directiua, & dirigit opus noſtrum. Vnde manifeſtum eſt, quod ſi logicus voluerit citius, & melius ſyllogizabit, quam non logicus, quantumcunque benè vellet ſyllogizare. Ad tertium dico, quod non eſt inconueniens, quod ſubiectum ſcientię practicę ſit ſub ſubiecto ſpeculatiuę, & quod ſcientia practica ſit ſub ſcientia ſpeculatiua, ſicut ſcientia naturalis eſt ſubalternata Aſtrologię, & Muſica ſubalternatur Aritmeticæ. Et ſi dicas concluſiones, & principia ſcientię ſubalternatę dependent ex principiis ſcientię ſubalternantis, ſed ex principiis ſpeculatiuis non eliciuntur, niſi concluſiones ſpeculatiuæ, ergo notitia practica non eſt ſubalternata notitię ſpeculatiuę. Dico quod frequentius concluſio practica dependet ex principiis ſpeculatiuis, vnde frequenter vna pręmiſſarum in ſyllogiſmo practico eſt purè ſpeculatiua, ſed ſemper aliqua præmiſſarum eſt practica, ſicut hic eſt ſyllogiſmus practicus, parentes ſunt honorandi, iſti ſunt parentes, ergo &c. Et tamen minor eſt ſpeculatiua, & ſic de multis aliis, ergo &c. Sed forte dices quod ſecundum iſta cum notitia practica ſit tam pręmiſſarum, quam concluſionum, notitia practica erit reſpectu puri ſpeculabilis, quia reſpectu vnius pręmiſſę purè ſpeculatiuę. Item ſequitur, quod de eodem ſubiecto eſſet ſcientia ſpeculatiua, & practica, quæ de homine eſſet ſcientia practica, qua ſcitur, quod homo eſt diligẽdus ſecundum prędicta, & manifeſtum eſt, quod de homine eſt ſcientia ſpeculatiua, ergo &c. Ad primum iſtorum dico, quod notitia capitur dupliciter ſicut ſcientia, vno modo pro notitia, qua pręciſe cognoſcitur vna concluſio, quomodo dicitur, quod ſcientia eſt effectus demõſtrationis.

idest

ideſt notitia, vel ſcientia concluſionis eſt effectus cauſatus à notitia præmiſſarum, & ſic notitia practica non eſt purè ſpeculabilis. Alio modo capitur notitia, ſicut & ſcientia pro vna aggregatione multorum habentium determinatum ordinem, ſicut dicimus, quod ſciētia naturalis habet diſputare contra recipientes ſua principia, & non contra negātes, & ſic capiēdo notitiam practicā pro notitia cōprehendente totā notitiam requiſitā ad notitiam concluſionis practicæ, concedēdum eſt, quod notitia practica eſt reſpectu purè ſpeculabilis, ſed tūc impropriè capitur notitia practica, vnde cōcedendum eſt, quod propriè capiēdo notitiā practicam pro illa notitia, quæ non eſt formaliter ſpeculatiua ſecundum nullā partē, nec æqualiter nulla notitia practica eſt purè ſpeculabilis, & ideo ſic capiēdo notitiam practicā, notitia practica non eſt cōcluſionis, & præmiſſarum, ſed eſt ipſius concluſionis, & effectus notitiæ præmiſſarum. Ad ſecundum dico, quod de eodem ſubiecto poteſt eſſe notitia ſpeculatiua, & practica propter diuerſitatem paſſionum demonſtrabilium de eodem, cum enim diuerſitas ſcientiarum non tantum dependat ex diuerſitate ſubiectorum, ſed etiā prædicatorum, poſſibile eſt, quod propter diuerſitatem de eodem, quod de illo ſint diuerſę ſcientię, quarum vna ſit ſpeculatiua, & alia practica; ſi enim ſit vna paſſio ſignificans opus noſtrum: iſta notitia qua ſcitur concluſio, in qua demonſtratur illa paſſio de ſubiecto, erit practica; ſi autē paſſio non ſignificet opus noſtrum, concluſio ſcita non erit practica, ſed ſpeculatiua. Manifeſtum eſt enim, quod medicina eſt ſcientia practica, quæ tamen eſt de corpore humano tanquam de ſubiecto partiali, de quo multę paſſiones demonſtrantur, quę ſignificant opera noſtra, & ita de homine eſt ſcientia practica, de quo tantum eſt ſcientia ſpeculatiua. Similiter agricultura aſſignat diuerſas rationes de terra, de quibus eſt ſciētia ſpeculatiua, & ſimiliter aliæ artes mœcanicæ aſſignant diuerſas rationes de rebus naturalibus, de quibus ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ. Similiter prudentia qua dirigitur vita humana, de talibus, & aliis rebus naturalibus diſtinctæ paſſiones cognoſcuntur; de quibus etiam ſunt ſcientiæ ſpeculatiuæ, ideo concedendum eſt, quod de eodem ſubiecto propter diuerſitatem paſſionum demonſtrabilium poteſt eſſe, tam ſcientia ſpeculatiua, quam practica, quare &c.

Cap. Quintum.

HIS viſis, videndum eſt de modo procedendi, conſiderandi, & demonſtrādi in hac ſcientia. Circa quod dico eſſe ſciendum, quod licet in hac ſcientia ſint demonſtrationes propter quid, ſicut in cœteris ſciētiis, tamē ordine doctrinę qui incipere debet à notioribus, & facilioribus cōmunitati, cui tradēda eſt ſcientia, procedēdū eſt ab effectu ad cauſā & à cōmunioribus, & facilioribus ad minus cōmunia. i. à propoſitionibus habētibus terminos magis cōes ad propoſitiones habentes terminos minus communes, nō quin primo intellectum à quocunq; ſit ſingulare, ſed quia nullum ſingulare, imo forte, nec ſingularia alicuius ſpeciei primo ſūt intellecta à tota cōitate humana, quę debet doceri; ſed tantum aliqua ſūt vni gēti, & alia alteri gēti, ſed ſecundum cōes conceptus ſunt nota toti cōmunitati. Nā illi cōceptus ſunt noti cuilibet genti, ſicut aliqua gens habet notitiā leonis, & nō equorum; aliqua autem habet notitiā equorū, & nō leonum, & tamen tā iſti, quā illi habent cōem cōceptum, ſcilicet conceptum animalis, & ideo qui vult tradere notitiā perfectam, & completā de animalibus, debet incipere ab hoc communi animal demonſtrādo de eo ſuas proprietates antequam determinet de equis, & leonibus. Et ideo Inter paſſiones prius debet concludere quo facilius à tota communitate poſſunt ſciri, & poſtea alias, quę difficilius cognoſcuntur, & tamen hoc nō obſtāte primum cognitum à quocunq; eſt ſingulare, nec aliquis poteſt prius cognoſcere vniuerſale, quam particulare, licet forte verè prius cognoſcitur notitia confuſa quam diſtincta.

Sed quomodo hoc habeat vnitatem, in tractatu de anima, & aliis intelligibilibus apparebit, nec obſtat quod dicit Ariſtot. primo Phiſic. quod pueri appellant omnes homines patres, &c. Nam Ariſt. loquitur ibi de pueris, qui non habẽt cognitionem intellectiuam, ſed tantum ſenſitiua, quæ non eſt vniuerſalium, ſed ſingularium, quẽadmodum agnus ſequitur omnem ouem, & poſtea diſcernit, & tamen nullum vniuerſale cognoſcit. Ex quo patet, quod ex iſta auctoritate non plus habetur quam, quod intellectus eſt prius vniuerſalium, quam ſingularium. Dico ergo, quod ſicut intellectus de multis prius habet cognitionem imperfectam, & confuſam, ita ſenſus primo habet cognitionem imperfectam, & confuſam, & poſtea diſtinctam cognitionem vnius ab alio, propterea ſequitur, quod facilius habentur per cognitionem imperfectam ſingularium conceptus cõmunes, quam particulares, ſiue proprij, & ideo à talibus ordine doctrinę eſt incipiendũ quare, &c.

Tex. com. quinti.

Cap. Sextum.

Generalis diuiſio philoſophiæ naturalis.

EORVM Quę ſunt, quędam ſunt ſimplicia, quædam compoſita. Simplicia vero, quadam carent omni compoſitione partium quarumcũq. cuiuſmodi sũt ſubſtantiæ, abſtractę intellectuales, ſcilicet intelligentię cuiuſmodi ſunt etiam omnes intellectiones, omnia accidentia animæ intellectiuæ, ſi ipſa ſit indiuiſibilis, ſicut multi ponunt eſſe de intentione Ariſt. Quędam autem ſimplicia dicũtur nõ per carentiam partium quarumcunq; ſed per carentiam partium diſſimilium, & alterius rationis, cuiuſmodi ſunt omnia corpora cæleſtia ſecundum intentionem Ariſt. & omnia accidentia, & prima materia, & forma quęlibet. Talia enim, quorũ quodlibet eſt per ſe vnum, licet ſint compoſita ex partibus ſimilibus, & eiuſdem rationis, tamen non ſunt compoſita ex his, quæ faciunt vnum per ſe, nec ex partibus alterius rationis, licut cælum componitur ex partibus, quæ non differunt ratione, nõ tamẽ componitur ex materia, & forma, nec ex illis, quæ faciunt per ſe vnum. Compoſitorum autem, quædã ſunt compoſita per ſe, quędam per accidens, quia aliquod cõpoſitum ſit vnum per accidens, cuiuſmodi sũt iſta, domus, lectus, & ſimilia. Aliquod compoſitum eſt per ſe vnum, ſicut ignis, aer, lapis, homo, animal, quorum quodlibet eſt compoſitũ ex materia, & forma, quæ nõ ſunt eiuſdem rationis, ſed plus diſtinguuntur ſecundum ſuas naturas, vel eſſentias quas habẽt, quam homo, & aſinus. Compoſitorum autẽ talium quædam sũt animata, vt plãta, & animal, quędã inanimata, vt lapis, aer. Animatorum, quędam ſunt animata anima ſenſitiua, quędam nõ. Animatorũ anima ſenſitiua, quędã sũt animata anima rationali, vt homo, quędã nõ vt animalia bruta. Iuxta prædictam diſtinctionem accipiendę ſunt partes iſtius tractatus. Prima pars erit de conditionibus communibus, & magis notis omnium naturalium. Secunda erit de corporibus cæleſtibus, & eorum proprietatibus. Tertia erit de corporibus inanimatis, & eorum paſſionibus. Quarta docebit de corpore animato anima rationali, & actibus eius. Quinta erit de cęteris animalibus, & eorũ proprietatibus. Sexta erit de plantis.

Cap. Septimum.

OMNE Compoſitum componitur ex partibus, ſine quibus eſſe non poteſt, & dependet ex cauſis, ſine quibus vna pars compoſiti alteri nõ vnitur, cum ergo ſciẽtia naturalis habeat conſiderare de cõpoſitis, ſequitur, quod ad conſiderationem eius pertinent partes compoſiti, & cauſæ eiuſdem, iſtæ autẽ partes cõponentes per ſe, ſunt materia, & forma, quæ vocantur principia, & cauſæ eius. Ad naturalem ergo Phyloſophiam ſpectat docere, tam de materia, quam de forma. Circa autẽ materiam, & formam multa ſunt inquirenda. Primo dicendũ eſt, quod ſint a poſteriori, quia a priori hoc probare non poſſumus, quod autem ſint, & quod ſint diſtincta, probatur per naturalem generationem.

Materiam eſſe probatur.

rationem. Videmus enim iſta corpora naturaliter generari, & corrumpi, ſicut animalia, plantę, ignis, & aer, & huiuſmodi, quę quãdoque generãtur, & quãdoque corrumpuntur; ſed nihil generatur ex nihilo, ergo omni generationi aliquid pręſupponitur; Iſtud autem pręſuppoſitum non poteſt eſſe aliquod pręſuppoſitum extrinſecum totaliter diſtinctum à generato; Si enim eſſet aliquod extrinſecum totaliter diſtinctum à generato, propter ipſum non diceretur generatũ nõ fieri ex nihilo, ſicut ſi igni præſupponitur terra totaliter diſtincta ab igne, propter terrã non diceretur ignis ex nihilo non generari, patet ergo cum omne generatum nõ fiat ex nihilo, quod in omni generatione, & generato pręſupponitur aliquid, quod nõ eſt totaliter diſtinctum à generato, de quo quęrendũ eſt, an illud ſit ipſũ generatum, an pars eius, ex quo non eſt totaliter diſtinctũ à generato, nõ poteſt dici, quod ſit ipſũ generatũ, quia tũc idẽ pręſupponeretur ſibi ipſi, & ſic ante generationẽ eſſet generatũ, relinquitur ergo, quod illud pręſuppoſitũ generato ſit pars generati, ſi autẽ ſit pars, ergo eiuſdẽ generati eſt alia pars componens cum illa parte, quæ ſupponitur, cuiuslibet ergo generati ſunt duę partes, quarum vna pręſuponitur generationi, quæ vocatur materia, alia, quę non præſupponitur, quę vocatur forma. Ad generationem naturalem, ergo oportet ponere materiam, & formam, quod ſint, & quod diſtinguantur. Iſta ergo ratio fundatur ſuper hoc principio, ex nihilo nihil fit, quod Phiſ. poſuerunt, tanquam principium conceſſum ab omnibus, & per ſe notum, propter quod circa probationem illius nullus inſiſtebat. Verũ tamen hoc nõ obſtante perſuadebo, quod ex nihilo nihil fit; ſed primo videndum eſt quomodo Philoſophi intelligant iſtã propoſitionẽ, ſcilicet ex nihilo nihil fit.

Nihil fieri ex nihilo.

Circa quod eſt ſciendum, quod tunc ex nihilo dicitur aliquid fieri, ſcilicet, quando neceſſariò effectui nihil præſupponitur tanquã pars, vel ſubiectũ illius effectus quãtumcunq; aliquid pręſupponatur e idem tanquã cauſa efficiens, vnde ſi ſol modo eſtuaret calorẽ ſuum ſine omni ſubiecto, verè diceretur facere calorẽ ex nihilo quamtumcũq; illi effectui, ſcilicet calori aliquid pręſupponitur ſcilicet ſol calefaciens, quia cum ſol non pręſupponatur illi calori tanquã pars, vel ſubiectũ illius caloris, ideo diceretur calor fieri de nihilo, probare ergo quod nihil poteſt fieri niſi ei aliquid pręſupponitur tanquam pars, vel ſubiectũ eius, eſt probare quod ex nihilo nihil fit. Quod autem nihil poſſit fieri niſi ei præſupponatur aliquid tanquam pars, vel ſubiectum, probo per experientiam. Videmus enim, quod nunquam aliquid fit, niſi aliquid præcedens deſtruatur, vel corrupatur, ſicut, corrupta terra, vel ligno generatur ignis. Similiter corrupto igne generatur aer, vel aliquid fit in aliquo, nullo deſtructo, ſicut ſol illuminat aerem nullo alio deſtructo, vel corrupto. Similiter ſenſatio fit in viſu ſine cuiuſq; rei deſtructione. Si autẽ aliquid fit in aliquo ſine omni deſtructione rei manifeſtum eſt quod illi effectui aliquid pręſupponitur tanquam ſubiectum, & per conſequens non fit ex nihilo, ſic accipiendo fieri ex nihilo. Si autem aliquid fiat alio deſtructo, adhuc fit de aliquo, & non de nihilo, probo, quia ſi aliquid fit deſtructo alio, ita quod nunquam fieret, niſi illud deſtrueretur, ſicut ad ſenſum videmus ignẽ nunquã fieri de nouo, niſi aliquo alio corrupto, & deſinẽte eſſe, tunc querendum eſt, an illud ſecũdum ſe totum deſtruatur, ita quod nihil eius remaneat in igne generato, aut aliquid remanet in igne generato, quod oportet ibi dare ſi remanet, quia alibi remanere nõ poteſt. Si detur ſecundũ, quod aliquid remanet in igne generato, certũ eſt quod illud remanes non eſt ipſe ignis, ergo eſt pars ignis, & habetur propoſitum, ſcilicet quod igni generato aliquid pręſupponitur tanquam pars. Si autẽ nihil illius deſtructi remanet, ergo ita indifferenter poterit iſte ignis fieri ſine deſtructione illius,

ſicut per deſtructionē, cuius oppoſitum per experientiam patet, probo conſequentiā, omnis effectus poteſt ſufficienter fieri ex ſuis cauſis, quando ſunt debito modo diſpoſitę, & approximatę, & nullum eſt impedimentum medium, nec aliquod agens fortius, vt agens in cōtrarium. Sed illa pars illius deſtruendi, nec eſt cauſa ignis producendi per ſe, nec eſt impedimentum medium, nec agens fortius in contrarium, ergo ita indifferenter poteſt fieri ſine deſtructione eius, ſicut ad deſtructionem eiuſdē, quod tamen ad ſenſum apparet falſum.

Cap. Octauum.

Primo phi. Tex. com. 61. Quod priuatio ſit vnum principium rerum naturalium.

OSTENSO quod materia, & forma ſunt res poſitiuę, & quod ſunt diſtinctæ, videndum eſt quomodo ſe habent ad generationem rei naturalis. Ponit autem Ariſt. quod ſunt principia rei naturalis tā in fieri, quam in eſſe, eo enim quod ſunt partes rei generatę, ſunt principia eius tā in eſſe, quam in fieri, quia res non poteſt fieri, nec eſſe ſine ſuis partibus eſſentialibus, cuiuſmodi ſunt materia, et forma, materia autem ſic eſt principium generationis, ſiue rei in eſſe, ſiue quando res fit, quod prius priuatur forma, quā debet accipere, & poſtmodum recipit formam, & informatur ea, ac cum ea conſtituit totum cōpoſitum generatum, propter quod non ſolum materia, et forma ponuntur principia generationis naturalis, & artificialis, quod ex hoc probatur, quia principia ſunt contraria, ſed iſta contrarietas non poteſt eſſe ſine priuatione, vel niſi ſecundum priuationem, & habitum, ergo principia ſe habent ſicut priuatio, & habitus, & per conſequens priuatio eſt principium. Quod autem principia ſint contraria patet per inductionem: quia cum non indifferenter ex quolibet fit quodlibet, ſed ſolū fit contrarium ex cōtrario, ſicut patet inductiuè, ergo principia ſunt contraria. Oportet autem ſcire quod priuatio hic large accipitur pro contrario, & priuatione largè ſumpta, vndę vnum contrariorū dicitur priuatio alterius propter repugnantiam formalem vnius contrarij ad reliquum, & ſic capiendo priuationem, priuatio ponitur principium, quod probatur ſic. Nam ſi aliquid generatur, aut materia pręhabet formam generati, aut non pręhabet eam; Si pręhabet eam, ergo ante generationem eſt generatum, quod eſt impoſſibile, ſi autem non pręhabet eam, ergo priuatur ipſa forma, ergo ſine priuatione non eſt generatio. iſta ergo ſunt principia, materia, forma, priuatio, vnde iſta in diffinitione exprimente quid nominis generationis, & generati debent poni, vt generatio ſic diffiniatur.

Diffinitio generationis.

Generatio eſt exiſtentia rei cuius materia prius fuit priuata forma, quam nunc primo habet, ita quod iſta tria materia, forma, & priuatio ponantur in diffinitione tam generationis, quā generati, & propter hoc dicuntur principia. Pro nunc autem cauſa efficiens, & finalis, nec ponuntur, nec dicuntur principia, prout nunc vtimur iſto nomine principium, quia non ponuntur in diffinitione exprimente quid nominis gēnerationis, & generati.

Cap. Nonum.

Huius vo(cis) priuatio multiplicitas.

VISO quod materia, & forma, & priuatio ſunt principia generationis, & generati, videndum eſt de ſingulis, & primo de priuatione. Circa quod eſt ſciēdum, quod hoc nomen, priuatio, à diuerſis in diuerſis locis multipliciter accipitur; Vno modo dicitur priuatio forma expellenda quando alia forma introducitur, & ſic vna forma contraria eſt priuatio alterius, & etiam vna forma ſubſtantialis, quæ non poteſt ſtare cum alia in eadem materia, eſt priuatio alterius, & ſic albedo eſt priuatio nigredinis, & è cōuerſo. Similiter forma ſubſtantialis ignis eſt priuatio formę ſubſtantialis aeris, & è conuerſo. Alio modo capitur priuatio pro ſubiecto, vt hoc nomen, priuatio, ſecundum iſtam acceptionem, & hoc nomen priuatum ſignificent omnino idem, & de ſe inuicem prædicētur, vt dicit Ariſt. primo Phi. Quoniam oportet aliquid ſubijci ei quod fit,

Tex. com. 62.

ſit, & hoc ſi numero eſt vnum, ſpecie autẽ non vnum. Specie enim dico, & ratione non idem. Et poſtea ſubdit; Et omnino materia eſt numeralis, hoc enim magis aliquid, quam priuatio, & non ſecundum accidens ex ipſo ſit quod fit. Priuatio autem & contrarietas ſecundum accidens eſt. Quare poſtea ſubdit. Quare nec plura contrariorum ſunt principia quodammodo, ſed duo, vt eſt dicere duo numero, nec iterum penitus duo propter illud quod alterum eſt eſſe ipſis, ſed tria, alterum enim eſt eſſe homini, & non Muſico, & infigurato, & æri. Ex quibus verbis ſequitur, quod ſubiectum, & priuatio ſunt vnũ numero, ſimiliter ſubiectum, & priuatum ſunt vnum numero, ergo priuatio, & priuatum ſunt vnum numero, priuatio ergo ſecundum iſtam acceptionem, & pro eodem ſupponit, & idẽ ſignificat quod hoc nomen priuatum, & ideo ſicut hoc nomẽ, priuatum capitur pro ſubiecto, ita & hoc nomen priuatio capitur pro ſubiecto, & ideo non obſtante, quod hoc nomen priuatum ſtet, & ſupponat pro ſubiecto, vt hęc ſit concedenda, ſubiectum eſt priuatum, tamen alia eſt diffinitio ſubiecti, & priuati, ſcilicet iſtorum terminorum ſubiectum, & priuatum, ſic non obſtante quod ſubiectum, & priuatio ſint vnum numero, ita quod ſubiectum ſit priuatio, & priuatio eſt ſubiectum, tamen iſtorum nominum ſcilicet ſubiectum, & priuatio, sũt diſtinctę diffinitiones exprimentes quid nominis. Et hoc eſt quod dicit Ariſt. quod ſunt vnum numero, ſed non ſpecie, idest ratione, vel diffinitione, quia Philoſophus capit rationem pro diffinitione, & eſſe, capit etiam pro ratione. Et hic eſt aduertendum, quod in iſta propoſitione, ſubiectum & priuatio ſunt vnum numero, & tamen differunt ratione, quę eſt vna copulatiua, cuius vtriuſque partis ſubiectum eſt hoc totum, ſubiectum, & priuatio, quamuis cauſa breuitatis non exprimatur ſubiectum bis, ſcilicet hoc totũ ſubiectum, & priuatio, tamen ſubiectum, & priuatio diuerſimode, & ęquiuoce capiuntur in prima parte copulatiuæ, & in alia, nam in iſta parte ſubiectum, & priuatio ſunt vnum numero, ſubiectum accipitur ſignificatiuè, & pro re importata, ſed in iſta parte ſubiectum, & priuatio differunt ratione, ſubiectum, & priuatio accipitur aliter, & ęquiuoce, ſcilicet pro ipſis terminis ſignificantibus, & ſupponentibus pro aliqua re, ſicut in talibus homo, & album ſunt idem realiter, & differunt ratione. Nam in prima parte ſubiectum capitur ſignificatiuè pro re, pro qua ſupponit. In ſecunda parte capitur ſubiectum pro iſtis terminis, quia ipſi termini habent diuerſas diffinitiones. Et ſi dicatur quod diffinitiones non ſunt nominum, vel terminorum; ſed rerum. Dicendum eſt, quod licet hoc nomen diffinitum ſtet frequenter pro illo cuius eſſe per diffinitionem exprimitur, tamen in multis locutionibus ſtat pro termino, vel pro nomine, ſicut in primo Phyſic. in proœmio dicitur. Sustinent autem hoc quodammodo nomina ad rationem; volens quod nomina ſunt diffinita, & conſequenter dicitur, quod diffinitio ſignificat idem explicite, quod diffinitum ſignificat implicite, in qua propoſitione diffinitum non ſtat niſi pro termino, vel pro voce, ſi ergo dicendum eſt, quod iſtorum terminorum, ſcilicet ſubiectum, & priuatio diuerſæ ſunt diffinitiones exprimentes quid nominis, quantumcunque hæc ſit vera, ſubiectum, & priuatio ſunt vnum numero. Tertio modo accipitur hoc nomen priuatio, pro nomine priuatiuo, ſecundum quod dicitur in Pręd. cam. quod vnum genus oppoſitionis eſt priuatio, & habitus, vbi capitur priuatio pro nomine priuatiuo, & habitus pro nomine poſitiuo, ſicut hoc nomen oppoſitio, & hoc nomen oppoſitum, & hoc nomen contradictorium accipitur pro nomine. Quarto modo accipitur hoc nomen priuatio, non proprie pro ſubiecto; ſed magis vt tota oratio transferatur in aliam orationem, & huic nomini priuatio diuerſa vocabula aliarum partium correſpondeant, ſicut cum dicitur, à priuatione

ad habitũ impoſſibilis eſt regreſſio, cuius intellectus non debet eſſe, quod regreſſio ſit impoſſibilis ab aliquo vno, vel pluribus, quę, vel quod importatur per hoc nomen priuatio; ſed intellectus eſt iſte, quod poſtquam aliquid priuatum eſt, aliquo modo poteſt ad illud regredi, & ſic capitur hoc nomen priuatio in multis locis, vt ſemper tales propoſitiones transferantur in aliam, & exponantur per eas.

Cap. Decimum.

PRÆMISSA diſtinctione prędicta de hoc nomine priuatio; Videndum eſt quomodo priuatio ponenda eſt principiũ generationis naturalis. Primo tamen oſtendendum eſt, quod priuatio non eſt aliquid immaginabile extra animam diſtinctum à materia, & forma, & compoſito; ſed quicquid eſt intelligibile in re extra, quando res generatur, vel eſt materia, vel forma, vel compoſitum, niſi forte velis dicere, quod vltra iſta eſt accidens, de quo manifeſtum eſt, quod non eſt priuatio, quæ eſt principium generationis ſubſtãtię; Quod autem priuatio non ſit aliquid diſtinctum à materia, & forma, & compoſito. Primo probandum eſt per rationem; Secundo per auctoritatem; Per rationem ſic. Primo: quia ſi priuatio eſſet aliquid diſtinctum a prędictis, oporteret, quod eſſet in materia, ſecundũ quod illi ponunt priuationem diſtingui a materia, & forma; ſed priuatio non eſt in materia, cum reſpectu diſtinctę formę ſit diſtincta priuatio; ſed ſecundum ſic ponentes pro eo, quod vna priuatio auferatur ſine alia ſecundum hoc, quod vna forma inducitur ſine alia, ſequeretur quod in materia eſſent tales res infinitę, quod eſt abſurdum, quia nulla infinitas infinitorum ſecundum ſe diſtinctorum non facientium vnum per ſe, eſt in rerum natura. Secundo ſic, ſi priuatio eſſet in materia, cum nulla priuatio ſit materię coęterna, ſequitur quod aliquando materia priuabitur vna priuatione, qua adueniente, materia ipſa priuatione priuabitur, & ita adueniente forma, non tantum expelleretur forma; ſed etiam induceretur priuatio priuationis precedentis, quod non videtur intelligibile. Tertio ſic, ſi priuatio diſtingueretur extra animam a materia, & forma, & compoſito, tunc aut eſſet nihil, & hoc nõ, quia quod nihil eſt, a nihilo diſtinguitur, quia idem, & diſtinctũ ſunt differentiæ entis: Aut aliquid, & ſi ſic, ergo priuatio eſſet forma, quia nulla res eſt in materia niſi forma. Sed fortè dices, quod priuatio nõ eſt aliquid poſitiuũ; ſed negatiuum, & eſt in materia tanquam negatiuum, & non tanquam poſitiuum. Sed hoc non valet, quia quero, aut priuatio eſt aliquid, aut omnino nihil, ſi eſt aliquid, procedunt argumenta priora, ſi omnino nihil, ergo non eſt in materia, quia illud quod omnino nihil eſt, in nullo eſt, impoſſibile eſt enim, quod illud, quod omnino nihil eſt, ſit in aliquo. Ex quo vlterius ſequitur, quod priuatio non eſt principium generationis, quia quod omnino nihil eſt, nullius eſt principium. Dicendum eſt ergo, quod priuatio non eſt aliquid in rerum natura extra animam quomodocunque diſtinctum à materia, & forma; ſed priuatio, quę eſt extra, vel eſt materia ſecundum vnam ſignificationem, vel eſt forma expellenda ſecundum aliam ſignificationem.

Quid ſit priuatio quæ eſt principium.

Cap. Vndecimum.

IAM videndum eſt quomodo priuatio eſt principium diſtinctum à duobus, ſcilicet a materia, & forma, cum Ariſtot. ponat tria principia, ſcilicet materiam, formam, & priuationem. Si autem priuatio capitur pro forma expellenda, facile eſt videre quomodo poteſt eſſe principium generationis naturalis, non quidem per ſe; ſed per accidens, licet talis priuatio non ſit principium cuiuslibet generationis, quia quædam eſt generatio, vbi nulla forma expellitur, ſed tantum introducitur, & de generatione quidem accidentali

Quomodo diſtinguatur priuatio à materia, & forma.

dentali hoc manifeſtum eſt, ſicut in illuminatione aeris, & ſenſatione, & in multis aliis. Sed de generatione ſubſtātię eſt magis dubium; quod tamen loco ſuo declarabitur. In generatione verò, quę eſt cum alterius formę expulſione, forma abiecta poteſt dici principium generationis, non quia ſit cauſa, vel pars generationis realis extra animā, vel generati; ſed quia expulſione illius incipit generatio eſſe, ita & quod ipſa expulſa tunc primo eſt generatio, & tunc primum eſt generatum. Et ſi talis generatio diſtincta contra generationem, quę poteſt eſſe ſine formę expulſione, debet diffiniri in diffinitione eius exprimente quid nominis ponetur nomen formę expellendę, ſiue expulſæ, & ita foret principium non per ſe quidem conſtituens eſſentiam generati, ſed per accidēs præcedens neceſſariò generatum. & tanquam aliquid recipiendum in diffinitione exprimente quid nominis eius. Si autem capitur priuatio pro ſubiecto, facile eſt videre quomodo eſt principium, ex quo ſubiectum eſt principium. Sed habet difficultatem quomodo eſt tertium principiū diſtinctum a materia, & forma. Circa quod dicendum eſt, quod non eſt imaginandum, quod præter formam expellendam, ſit à parte rei aliquod tertium quocunque modo diſtinctum a materia, & forma, quod ſit tertium principium; ſiue per ſe, ſiue per accidens: nec hoc intendit Ariſt. ponens tria principia ſicut apparebit; ſed à parte rei ſunt duo, quorum vnū ſcilicet ſubiectum primo priuatur forma neceſſariò, & poſtea habet eā, quod quidem ſubiectū eſt ex hoc in potentia, quia neceſſariò ad hoc quod ſit ſubiectum generationis requiritur, quod primo priuetur forma, & poſtea habeat eam, & ideo eſt nominabile duobus nominibus, ſicut poſitio, & priuatio, habentibus diuerſas diffinitiones, quę nomina duo, vnà cum nomine formæ, debent cadere in diffinitiones generationis, & generati: ita quod de tribus nominibus non ſynonimis, quorum quodlibet debet poni in diffinitione generationis, & generati, prædicetur verè hoc nomen principium, vnde quęlibet talis eſt vera, materia eſt principium, forma eſt principium, priuatio eſt principium. Sed forte dices, quod Ariſt. non loquitur de nominibus; ſed de rebus ſignificatis per nomina; non ergo ſunt tantum tria nomina; ſed erunt tria præter nomina, quæ ſunt principia. Pręterea, nullum nomen eſt principium generationis rei naturalis, ergo non ſunt tria principia propter trinitatem nominum. Dicendum eſt, quòd Ariſtotel. in Philoſophia ſua naturali, & in aliis ſcientiis ſæpè loquitur de nominibus, pro nominibus, quantumcunque ſit Philoſophus realis, & hoc quia ſæpè propoſitiones, in quibus nomina prædicantur de nominibus pro nominibus, conuertuntur in propoſitiones, in quibus omnes termini ſumuntur ſignificatiuè, ſicut iſtę duæ conuertuntur, animal prædicatur de homine, & homo eſt animal, & ſicut iſtę duæ, album prædicatur de corpore, & corpus eſt album. Similiter iſtæ conuertuntur, principium prædicatur de ſubiecto priuato; & forma, & ſubiectum eſt principium, & priuatum eſt principium, & forma eſt principium, & ideo cum logica præſupponatur omni ſcientiæ reali, non eſt inconueniens, quod Philoſophus in ſcientia naturali vtatur aliquo termino logicali, & aliqua propoſitione conuertibili cum vna propoſitione, vel pluribus, in qua, vel quibus omnes termini ſumuntur ſignificatiuè, & ſic eſt in propoſito. Ad ſecundum dicēdum, quod Ariſt. non concedit abſolutè quod ſint tria principia; ſed dicit, quod ſunt quodammodo duo, & quodammodo tria, per hoc volens innuere, quod à parte rei verè, & realiter non ſunt niſi duæ res, quæ ſunt principia, & tamen de tribus nominibus habentibus diuerſas diffinitiones prędicatur vere hoc nomen principiū, licet duo iſtorum nominum ſupponant per eodem, & hoc eſt

eſt quod dicit Ariſt. primo phyſicorum. Quod ſubiectum, & oppoſitum numero quidē vnum, ſpecie autem duo, hoc eſt ſubiectum, & oppoſitū, id eſt priuatio verè ſunt vnum numero, & realiter, tamē ſpecie; id eſt ratione, vel diffinitione iſti termini ſubiectum, & oppoſitum, ſunt duo; id eſt habent duas diffinitiones diſtinctas, & hoc eſt quod ipſe concludit. Quare neq; plura contrariorum ſunt principia quodammodo, ſed duo, vt eſt dicere duo numero, nec iterum penitus duo propter illud quod alterum eſt eſſe ipſis ſecundum tria, alterum enim eſt eſſe homini, & non muſico, & infigurato, & æri, hoc eſt quodammodo nō ſunt plura principia quam principia contraria, ſed duo, quia ſcilicet plures res extra animam non ſunt principia, quam illę pro quibus nomina, contraria ſupponunt. Sicut non ſunt plures res, quę ſint principia contraria, quam illæ pro quibus ſupponunt iſta nomina ſcilicet priuatum, & forma, quę ſupponunt pro materia, & forma, quæ ſunt principia, & ita tantum ſunt duo principia; id eſt res ſunt tantum duę, quæ ſunt principia generationis, & tamen non obſtante, quod non ſint plures res, quam duę numero, principia tamen ſunt non penitus duo, propter illud quod eſt eſſe alterū ipſis, id eſt non tantū de duobus verè prędicatur hoc nomen principium, ſed etiam de pluribus propter diuerſas diffinitiones conuenientes illis, de quibus verè prędicatur hoc nomen principium, ſicut alia eſt diffinitio hominis, alia nō muſici: quātumcunq; homo, & non muſicus ſint idē realiter, & non diſtincta. Similiter alia eſt diffinitio æris, & infigurati: quātumcunq; æs, & infiguratum ſint vnum, & idē realiter, & propter tales diuerſas diffinitiones poteſt dici, quod quodammodo ſunt tria principia, licet realiter non ſint, niſi duo principia, &c.

Tex. Com. 67.

Cap. Duodecimum.

AD Euidentiam intentionis prędictę, quæ eſt Ariſt. vt mihi videtur, ſunt aliqua prænotanda, & aliqua probanda ex dictis eius. Eſt autem notādum, quod Ariſt. & alij auctores ſæpe ponunt actum exercitum pro ſignato, & ſæpe e conuerſo, ſicut quando dicitur homo eſt primo riſibilis, ponitur actus exercitus pro actu ſignato, ſcilicet pro iſto, de homine primo prædicatur riſibile, non quidem pro ſe, ſed pro ſingularibus eius, ſic eſt in propoſito, nam ille eſt actus exercitus, tria ſunt principia, & tamen ponitur pro iſto actu ſignato, de tribus verè prædicatur principium. Secundo notandum, quod Ariſt. per diuerſa eſſe intelligit diuerſas diffinitiones exprimentes rem & conuertibiles cum diuerſis nominibus, quæ quādoq; idē ſupponunt, & ſtant pro eadem re, ſicut per diuerſa eſſe hominis, & non muſici intelligit diuerſas diffinitiones cōuertibiles cum iſtis nominibus homo non muſicum, quæ ſupponūt pro eodem, quia idem eſt homo, & non muſicum. Tertio eſt notandum, quod Ariſt. per diſtingui ſpecie non intelligit diſtinctionem ſpecificam aliquarum rerum extra animam, ſed per diſtingui ſpecie intelligit diſtingui ratione, id eſt diffinitione, quod non eſt aliud, quam habere diuerſas diffinitiones, dicente eo, ſicut allegatum eſt ſupra, ſpecie, & ratione non idem dico, vbi capit rationem pro diffinitione. Quarto notandum eſt, quod licet ſint diuerſę diffinitiones, poterunt tamen de eodem verificari, quamuis illud non ſit primum diffinitum per vtramq; iſtarū, & ideo licet hominis, & non muſici ſint diuerſę diffinitiones, tamen vtraq; poterit de homine verificari, & propter hoc dicit Ariſt. quod ſubiectum ſi ſit vnum numero, tamen eſt ſpecie duo, id eſt licet ſubiectum non ſit, niſi vna res tantum, tamen diuerſę diffinitiones ſignificāt ipſam, & prædicantur de eius nomine. Iſtis viſis oſtendo, quod de intentione Ariſt. eſt, quod non ſunt, niſi duo principia à parte rei. Primo ſic, Ariſt. dicit quod ſubiectum, & oppoſitum ſunt vnum numero, ſicut homo, & non muſicū ſunt vnum numero. Tunc quæro, aut inter

Tex. com. 67.

Tantum duo eſſe principia rerum naturalium realia extra animā.

inter ſubiectum, & oppoſitum extra animam eſt aliqua diuerſitas, vel diſtinctio, aut nulla, ſi nulla, habetur propoſitum, quod a parte rei nulla eſt diuerſitas principiorum, niſi materię, & formę, & ideo non ſunt extra animam, niſi duo principia. Si autem inter ſubiectum, & oppoſitum eſt aliqua diſtinctio ex parte rei, aut ergo oppoſitum eſt aliquid, vel nihil, ſi nihil, ergo non eſt vnum numero cum eo, quod eſt ens, quia ens, & non ens non ſunt vnum numero. Si autem eſt aliquid, aut ergo eſt ſubſtantia, aut accidẽs, ſi ſubſtãtia, & eſt diſtinctum, ergo ſunt ibi duæ diſtinctæ ſubſtantię, quod eſt manifeſtè falſum, quia illa ſubſtantia alia à materia, nec poteſt dici materia, nec forma, nec compoſitum. Similiter hoc poſito ſequeretur, quod ſubiectum, & oppoſitum non ſunt vnum numero. Si autem eſt accidens, ergo non ſunt vnum numero, quia Socrates, & ſua albedo non ſunt vnum numero, cum plus diſtinguantur, quàm Socrates, & Plato, qui non ſunt vnũ numero. Et ſi dicatur, quod Ariſt. in pluribus locis dicit ſubiectũ, & accidens ſũt vnum numero. Dicendum, quod Ariſt. ibi non accipit pro re inhęrente alijs, ſed accipit accidens pro re prędicabili cõtingenter, & accipit actum exercitum pro actu ſignato, vt iſte ſit ſenſus, de ſubiecto, & accidente prædicabili contingenter prędicatur vnum numero, ſic dicẽdo, homo, & album ſunt vnum numero. Et talia exempla ponit Ariſt. & nunquàm dicit quod homo, & albedo ſunt vnum numero. Sic ergo patet, quod inter ſubiectum, & oppoſitum nulla penitus eſt diſtinctio extra animam, vel ſequeretur, quod non ſunt vnum numero; ſed ſunt vnum numero ſecundum Ariſtotel. ergo nulla penitus eſt ibi diſtinctio, & per cõſequens à parte rei non ſunt niſi duo principia. Prœterea Philoſoph. exemplificat de homine, & nõ muſico, de ære, & infigurato, ſed homo, & nõ muſicũ nullo modo ſũt diſtincta, nec etiam æs, & infiguratum, ergo nec ſubiectum, & oppoſitũ, probatio antecedentis, quia arguitur ſyllogiſticè ſic, nullus homo diſtinguitur ab homine, nõ Muſicũ eſt homo, ergo nõ Muſicũ nõ diſtinguitur ab homine. Similiter nullũ ęs diſtinguitur ab ære, infiguratũ eſt ęs, ergo infiguratum nõ diſtinguitur ab ere. Prętérea ſi ſubiectũ, & oppoſitum ſũt diſtincta, aut ergo ſubiectũ, & oppoſitũ ſupponũt pro re ſignificata per ipſa, aut pro ſeipſis, ſi pro ſe, tũc nõ ſũt vnũ numero, ſi pro re, eadem eſt res pro qua ſupponũt, ergo nõ ſũt diſtincta, & per cõſequens propter ſubiectũ, & oppoſitum nõ eſt ponẽda aliqua pluralitas principiorũ à parte rei; & ita à parte rei nõ ſũt niſi duo principia. Quod etiã patet per Ariſt. vbi dicit quod ſufficiẽs erit alterũ contrariorũ facere abſentia, & prẽſẽtia mutatione. Ex quo arguitur ſic, ex ſola abſẽtia rei nõ ſequitur aliqua pluralitas in materia, vel ex pręſẽtia formę nõ ſequitur niſi pluralitas materię, & formæ, ergo cũ forma per ſui abſẽtiam, & pręſentiam faciat ſufficiẽter mutationem, ad mutationẽ nulla requiritur pluralitas, niſi quod primo forma nõ ſit pręſẽs materiæ, & poſtea fiat pręſẽs eidem, iſta ergo duo ſufficiũt ad mutationem, ſcilicet materia, & forma, vt primo materia careat forma, & poſtea habeat eam: patet ergo ex verbis Philoſophi, quod pro eodem vtũtur iſtis duobus vocabulis, ſcilicet priuatio, & priuatum.

5. Methaphiſ. Tex. 7.

Primo Phy. Tex. com. 68.

Cap. Decimum tertium.

Rationes quibus probatur priuationem realiter diſtingui a materia.

QVONIAM ſolutio dubiorũ eſt veritatis declaratio, ſubiũgendę ſunt aliquę obiectiones cõtra dicta ad probandũ, quod nõ eſt de intẽtione Ariſtot. negare diſtinctionem à parte rei inter ſubiectũ, & priuationem, quod probatur. Primo ſic, nihil eſt in ſeipſo, priuatio eſt in materia, ergo priuatio nõ eſt materia. Prętérea nihil ſubiicitur ſibi ipſi, ſed materia ſubiicitur priuationi, ergo &c. Minor patet, nam dicit Ariſtotel. quod oportet ſubiici aliquid contrariis, ergo mate-

Primo Phi. Tex. com. 64. materia non eſt priuatio cui ſubiicitur. Tertio ſic, ſecundum Ariſt. materia manet, ſiue ſubiectum, priuatio autem non manet, ergo non eſt idem, quia manens, Tex. com. 79. & non manens, non ſunt idem. Quarto ſic per Commentatorem in diuerſis locis, priuatio corrumpitur in aduentu formæ; ſed materia, ſiue ſubiectum non corrumpitur in aduentu formæ, ergo non ſunt idem. Quinto ſic, Ariſt. ponit quod priuatio eſt principium per accidens non per Tex. com. 67. ſe, quo dato, quæro pro quo ſtat ibi ly priuatio, aut pro ſubiecto, vel materia, aut pro voce, aut pro aliquo alio à parte rei, ſi pro ſubiecto, vel pro materia, falſum dicit, quia materia non eſt principium per accidens, ſed per ſe, ſi pro voce, falſum dicit, quia illud nomen nec per ſe, nec per accidẽs eſt principium, ſi pro aliquo alio à parte rei, habetur propoſitum, quod eſt omnino aliquod aliud à materia, quod eſt principium tertium.

Pro iſtis ſciendum eſt, quod Ariſt. & Augu. frequenter vtuntur ſermonibus improprijs, & figuratiuis, & tropicis, ſicut communiter dicitur, quod ſermones autentici ſumendi ſunt in ſenſu, in quo fiũt, & non in ſenſu, quem faciunt, & ideo plus attendenda eſt eorum intentio, quàm eorum verba, immo frequenter eorum verba ſunt exponenda, quæ niſi in bono ſenſu exponantur, falſa ſunt ſimpliciter, talis autẽ expoſitio facienda in auctoribus extrahẽda eſt ex dictis autenticis, & partim ex euidenti, & manifeſta ratione, & ideo eſt dicendum, quod Ariſt. multos ſermones ponit improprios de priuatio- Dilutio rationum. ne, & ideo ſunt exponendi. Ad iſta ergo dico, & primo ad primum, quando dicitur, nihil eſt in ſe ipſo, quod hoc eſt verum ſecundum proprietatem verborum; ſed quando dicitur, priuatio eſt in materia, iſta non eſt vera; niſi bene intelligatur, vt iſte ſit ſenſus, materia eſt priuata, vnde per tales propoſitiones, materia habet priuationem, materia eſt ſub priuatione, in materia eſt priuatio, ſemper debet intelligi iſta materia eſt priuata forma, quam non habet. Ad ſecundum dico, quando dicitur, quod ſecundum Philoſophum oportet aliquid ſubiici contrarijs. Dicendum eſt, quod quando contrarium eſt forma contraria, vel repugnãs formæ expellendæ, tunc verum eſt, ſicut ſonat quod aliquid ſubiicitur contrarijs, quando autem nulla forma expellitur, tũc non eſt verum, ſicut ſonat; ſed debet intelligi ſic, quod materia primo priuatur forma, & poſtea informatur ea, & hoc ſufficit ad mutationem; Aliter poteſt dici ad iſtas duas obiectiones. Ad primam quod priuatio eſt in materia per prædicationem, & non per realem inexiſtentiam, quia hæc eſt vera; materia eſt priuata. Ad ſecundam, quod aliquid ſubiicitur contrarijs per prædicationem, ita quod iſtæ ſunt ſucceſſiuè veræ, materia eſt priuata, materia eſt informata, quarũ veritas cauſatur ex hoc, quod materia primo caret forma, & poſtea habet eam, vnde ponatur quod materia nihil habeat penitus ſcilicet, quod non habeat formã, & poſtea habeat eam, verè primò eſt priuata forma, & poſtea eſt informata ea. Et ita ad mutationem nihil requiritur, niſi quod materia præexiſtens primo non habeat formam, & poſtea habeat formam, & per conſequens non oportet ponere aliquod tertium diſtinctum ab eis. Ad tertium dicendum, quod ideo dicit Ariſt. quod priuatio non manet, quia adueniente forma falſum eſt dicere, quod ſubiectum ſit priuatum, nec materia dicitur amplius priuata illa forma, ſed illud quod prius erat priuatum, tunc verè manet non priuatum & quod hæc ſit intẽtio Ariſt. patet, quia ſicut dicit, quod priuatio, ſiue oppoſitum non permanet, ita dicitur, quod non muſicũ, & immuſicũ nõ permanent adueniẽte muſica, & tamen manifeſtum eſt, quod omnino res, quę fuit nõ muſicũ permanet, vnde iſte ide qui prius erat non muſicus, ſi modo eſt muſicus, permanet: licet hæc tunc non ſit vera, permanet non muſicum. Vult ergo Ariſt. dicere quod adueniente forma, hæc eſt vera, ſubiectum permanet, & non

& non iſta, permanet priuatum, vel permanet non muſicum, non quia aliquid, quod prius erat, ſit corruptum; ſed quia illud ſubiectum, quod prius erat priuatũ, & carens muſica, nũc non eſt priuatum; ſed eſt habens muſicam. Ad quartum dicendum, quod hęc eſt metaphorica locutio, priuatio corrumpitur in aduentu formę, quę tamẽ vera eſt ſub intellectu Commen: qui eſt iſte, ſubiectum ceſſat priuari forma in aduentu formę, & conſimiliter debeant intelligi auctoritates Commen. quę ſonãt priuationẽ eſſe in materia, priuationem fieri, vel corrũpi, quia per omnes tales, & conſimiles non intelligitur, niſi quod materia quandoq; ẽ eſt priuata forma, & quandoq; nõ eſt priuata forma illa. Ad vltimum dicendũ eſt, quod Ariſt. non intendit negare iſtam priuationẽ per ſe principiũ, ſic; ſicut prima facie ſonat intelligatur, ſuppoſito, quod hoc nomen priuatio ſtet, & ſupponat pro materia, quia iſte ſyllogiſmus eſt bonus, hæc materia eſt per ſe principium, priuatio eſt hęc materia, ergo priuatio eſt per ſe principium. Sed intelligit Philoſophus, quod gę eſt per accidẽs, & nõ per ſe, priuatio ſit principiũ; quod quidem verũ eſt, nam ſi gę eſſet per ſe, priuatio eſt principiũ, hoc nomẽ, priuatio, nõ ſignificaret negatiue, illud quod eſt principium per ſe, cuius non eſt forma. Dicendũ eſt ergo, quod hęc eſt per accidens, & nõ per ſe, priuatio eſt principium, & hoc, quia priuatio ſignificat formam non exiſtẽtem, quę tamẽ eſt principium per ſe, & quę non poteſt eſſe principiũ, niſi quãdo exiſtit. Sed quęres fortè, ſi priuatio eſt principiũ, quomodo hæc eſt vera, priuatio eſt principium, aut quãdo priuatum eſt, aut quãdo priuatum nõ eſt? nõ poteſt dari primũ, nam tũc hæc eſſet falſa, priuatio eſt principiũ; quia ſequitur, priuatio eſt principium, ergo materia eſt priuata; ſed conſequens, tunc eſt falſũ, ergo, & antecedẽs, nec poteſt dari ſecundũ, quia nihil eſt principiũ nõ entis, ergo priuatio nõ eſt principium, antequã principiatũ ſit. Dicendum, quod iſta poteſt concedi abſolutè, priuatio, ſiue priuatum eſt principiũ, quãdo principiatum nõ eſt ſub bono ſenſu, vel intellectu iſto, ſcilicet, ſubiectũ priuatur forma, quę poſtea informabitur, vt iſta propoſitio, priuatio eſt principiũ, equiualet iſti de futuro, quæ eſt expreſſa, & pro tãto dicatur principiũ per accidẽs, propter cauſam prius dictam, quia ipſa nõ eſt vera, ſi intelligatur merè de preſẽti, ſcilicet, quãdo principiatũ eſt; & cum dicitur nihil eſt principiũ non entis, verũ eſt per ſe, tamẽ per accidens ſub bono ſenſu, vel intellectu prius dato aliquid poteſt eſſe principium nõ entis, hoc eſt dictu, aliquid poteſt eſſe priuatum aliqua forma, quę nõ eſt, quã immediatè poſt habebit, cũ qua faciet per ſe vnũ cõpoſitũ.

Cap. Decimum quartum.

VIDENDVM Eſt iam de numero principiorum, quot ſunt, & intẽdo hic loqui de materia, & forma præciſe; quia ex dictis apparebit, quid proportionabiliter eſt dicendum de priuatione. Dico ergo, quod licet Philoſophus ponat tria principia aliquo modo, & quodammodo tamen duo, non tamen intelligit hoc ſicut prima facie ſonat, & ſicut moderni intendunt, non enim vult, quod aliqua duo, quę ſunt ſic prima principia cuiuſlibet generationis, & generati, licet ponatur, quod ſint aliqua principia poſteriora primis principiis. Sed intelligit, quod cuiuslibet generationis, & generati ſunt duo principia prima per ſe, ſcilicet materia, & forma, tamẽ diuerſorum generatorum ſunt diuerſa principia prima, ita quod cuiuslibet generati ſunt duo principia, ſcilicet materia, & forma illius generati, & ideo ſunt alia principia prima iſtius generati, & alia illius, ita quod alterius, & alterius generati ſunt alia, & alia principia prima, licet, ſicut poſt dicetur, idem eſt principium quandoq; diuerſorum principiatorum; ſeu generatorum ſibinuicem ſuccedentiũ. Sed quomodo dicit tunc Ariſtot. quod ſunt duo principia tantũ? Dicendũ quod iſta eſt vera, cuiuslibet generationis vnius ſũt duo principia tantum, quia quęlibet ſingu-

Quomodo verum ſit quod omniũ generabilium ſint duo principia tantũ.

Sed quomodo hoc habeat vnitatem, in tractatu de anima, & aliis intelligibilibus apparebit, nec obſtat quod dicit Ariſtot. primo Phiſic. quod pueri appellant omnes homines patres, &c. Nam Ariſt. loquitur ibi de pueris, qui non habẽt cognitionem intellectiuam, ſed tantum ſenſitiua, quæ non eſt vniuerſalium, ſed ſingularium, quemadmodum agnus ſequitur omnem ouem, & poſtea diſcernit, & tamen nullum vniuerſale cognoſcit. Ex quo patet, quod ex iſta auctoritate non plus habetur quam, quod intellectus eſt prius vniuerſalium, quam ſingularium. Dico ergo, quod ſicut intellectus de multis prius habet cognitionem imperfectam, & confuſam, ita ſenſus primo habet cognitionem imperfectam, & confuſam, & poſtea diſtinctam cognitionem vnius ab alio, propterea ſequitur, quod facilius habentur per cognitionem imperfectam ſingularium conceptus cõmunes, quam particulares, ſiue proprij, & ideo a talibus ordine doctrinę eſt incipiendũ quare, &c.

Tex com. quinti.

Cap. Sextum.

Generalis diuiſio philoſophiæ naturalis.

EORVM Quę ſunt, quędam ſunt ſimplicia, quædam compoſita. Simplicia vero, quædam carent omni compoſitione partium quarumcumq. cuiuſmodi ſũt ſubſtãtiæ, abſtractę intellectuales, ſcilicet intelligentię cuiuſmodi ſunt etiam omnes intellectiones, omnia accidentia animæ intellectiuæ, ſi ipſa ſit indiuiſibilis, ſicut multi ponunt eſſe de intentione Ariſt. Quędam autem ſimplicia dicũtur nõ per carentiam partium quarumcunq; ſed per carentiam partium diſſimilium, & alterius rationis, cuiuſmodi ſunt omnia corpora cæleſtia ſecundum intentionem Ariſt. & omnia accidentia, & prima materia, & forma quęlibet. Talia enim, quorũ quodlibet eſt per ſe vnum, licet ſint compoſita ex partibus ſimilibus, & eiuſdem rationis, tamen non ſunt compoſita ex his, quæ faciunt vnum per ſe, nec ex partibus alterius rationis, ſicut cælum componitur ex partibus, quæ non differunt ratione, nõ tamẽ componitur ex materia, & forma, nec ex illis, quæ faciunt per ſe vnum. Compoſitorum autem, quædam ſunt compoſita per ſe, quędam per accidens, quia aliquod cõpoſitum eſt vnum per accidens, cuiuſmodi ſũt iſta, domus, lectus, & ſimilia. Aliquod compoſitum eſt per ſe vnum, ſicut ignis, aer, lapis, homo, animal, quorum quodlibet eſt compoſitũ ex materia, & forma, quæ nõ ſunt eiuſdem rationis, ſed plus diſtinguuntur ſecundum ſuas naturas, vel eſſentias quas habẽt, quam homo, & aſinus. Compoſitorum autem talium quædam ſũt animata, vt planta, & animal, quædam inanimata, vt lapis, aer. Animatorum quędam ſunt animata anima ſenſitiua, quędam nõ. Animatorũ anima ſenſitiua quędã ſũt animata anima rationali, vt homo, quędã nõ vt animalia bruta. Iuxta prædictam diſtinctionem accipiendę ſunt partes iſtius tractatus. Prima pars erit de conditionibus communibus, & magis notis omnium naturalium. Secunda erit de corporibus cæleſtibus, & eorum proprietatibus. Tertia erit de corporibus inanimatis, & eorum paſſionibus. Quarta docebit de corpore animato anima rationali, & actibus eius. Quinta erit de cęteris animalibus, & eorũ proprietatibus. Sexta erit de plantis.

Cap. Septimum.

OMNE Compoſitum componitur ex partibus, ſine quibus eſſe non poteſt, & dependet ex cauſis, ſine quibus vna pars compoſiti alteri nõ vnitur, cum ergo ſciẽtia naturalis habeat conſiderare de cõpoſitis, ſequitur, quod ad conſiderationem eius pertinent partes compoſiti, & cauſæ eiuſdem, iſtæ autẽ partes cõponentes per ſe, ſunt materia, & forma, quæ vocantur principia, & cauſæ eius. Ad naturalem ergo Phyloſophiam ſpectat docere, tam de materia, quam de forma. Circa autẽ materiam, & formam multa ſunt inquirenda. Primo dicendũ eſt, quod ſint a poſteriori, quia a priori hoc probare non poſſumus, quod autem ſint, & quod ſint diſtincta, probatur per naturalem generationem.

Materiam eſſe probatur.

rationem. Videmus enim iſta corpora naturaliter generari, & corrumpi, ſicut animalia, plantę, ignis, & aer, & huiuſmodi, quę quãdoque generãtur, & quãdoque corrumpuntur; ſed nihil generatur ex nihilo, ergo omni generationi aliquid pręſupponitur; Iſtud autem pręſuppoſitum non poteſt eſſe aliquod pręſuppoſitum extrinſecum totaliter diſtinctum à generato; Si enim eſſet aliquod extrinſecum totaliter diſtinctum à generato, propter ipſum non diceretur generatũ nõ fieri ex nihilo, ſicut ſi igni præſupponitur terra totaliter diſtincta ab igne, propter terrã non diceretur ignis ex nihilo non generari, patet ergo cum omne generatum nõ fiat ex nihilo, quod in omni generatione, & generato pręſupponitur aliquid, quod nõ eſt totaliter diſtinctum à generato, de quo quęrendũ eſt, an illud ſit ipsũ generatum, an pars eius, ex quo non eſt totaliter diſtinctũ à generato, nõ poteſt dici, quod ſit ipsũ generatũ, quia tũc idẽ pręſupponeretur ſibi ipſi, & ſic ante generationẽ eſſet generatũ, relinquitur ergo, quod illud pręſuppoſitũ generato ſit pars generati, ſi autẽ ſit pars, ergo eiuſdẽ generati eſt alia pars componens cum illa parte, quæ ſupponitur, cuiuslibet ergo generati ſunt duę partes, quarum vna pręſuponitur generationi, quæ vocatur materia, alia, quę non præſupponitur, quę vocatur forma. Ad generationem naturalem, ergo oportet ponere materiam, & formam, quod ſint, & quod diſtinguantur. Iſta ergo ratio fundatur ſuper hoc principio, ex nihilo nihil fit, quod Phiſ. poſuerunt, tãquam principium conceſſum ab omnibus, & per ſe notum, propter quod circa probationem ilius nullus inſiſtebat. Verũ tamen hoc nõ obſtante perſuadebo, quod ex nihilo nihil fit; ſed primo videndum eſt quomodo Philoſophi intelligant iſtã propoſitionẽ, ſcilicet ex nihilo nihil fit.

Nihil fieri ex nihilo.

Circa quod eſt ſciendum, quod tunc ex nihilo dicitur aliquid fieri, ſcilicet, quando neceſſariò effectui nihil præſupponitur tanquã pars, vel ſubiectũ illius effectus quãtumcunq; aliquid pręſupponatur e idem tanquã cauſa efficiens, vnde ſi ſol modo eſtuaret calorẽ ſuum ſine omni ſubiecto, verẽ diceretur facere calorẽ ex nihilo quamtumcũq; illi effectui, ſcilicet calori aliquid pręſupponitur ſcilicet ſol calefaciens, quia cum ſol non pręſupponatur illi calori tanquã pars, vel ſubiectũ illius caloris, ideo diceretur calor fieri de nihilo, probare ergo quod nihil poteſt fieri niſi ei aliquid pręſupponitur tanquam pars, vel ſubiectũ eius, eſt probare quod ex nihilo nihil fit. Quod autem nihil poſſit fieri niſi ei præſupponatur aliquid tanquam pars, vel ſubiectum, probo per experientiam. Videmus enim, quod nunquam aliquid fit, niſi aliquid præcedens deſtruatur, vel corrupatur, ſicut, corrupta terra, vel ligno generatur ignis. Similiter corrupto igne generatur aer, vel aliquid fit in aliquo, nullo deſtructo, ſicut ſol illuminat aerem nullo alio deſtructo, vel corrupto. Similiter ſenſatio fit in viſu ſine cuiuſq; rei deſtructione. Si autẽ aliquid fit in aliquo ſine omni deſtructione rei manifeſtum eſt quod illi effectui aliquid pręſupponitur tanquam ſubiectum, & per conſequens non fit ex nihilo, ſic accipiendo fieri ex nihilo. Si autem aliquid fiat alio deſtructo, adhuc fit de aliquo, & non de nihilo, probo, quia ſi aliquid fit deſtructo alio, ita quod nunquam fieret, niſi illud deſtrueretur, ſicut ad ſenſum videmus ignẽ nunquã fieri de nouo, niſi aliquo alio corrupto, & deſinẽte eſſe, tunc quęrendum eſt, an illud ſecũdum ſe totum deſtruatur, ita quod nihil eiũs remaneat in igne generato, aut aliquid remanet in igne generato, quod oportet ibi dare ſi remanet, quia alibi remanere nõ poteſt. Si detur ſecundũ, quod aliquid remanet in igne generato, certũ eſt quod illud remanens non eſt ipſe ignis, ergo eſt pars ignis, & habetur propoſitum, ſcilicet quod igni generato aliquid pręſupponitur tanquam pars. Si aute nihil illius deſtructi remanet, ergo ita indifferenter poterit iſte ignis fieri ſine deſtructione illius,

ſicut per deſtructionē,cuius oppoſitum per experientiam patet, probo conſequentiā, omnis effectus poteſt ſufficienter fieri ex ſuis cauſis, quando ſunt debito modo diſpoſitę,& approximatę, & nullum eſt impedimentum medium, nec aliquod agens fortius,vt agens in cōtrarium. Sed illa pars illius deſtruendi,nec eſt cauſa ignis producendi per ſe,nec eſt impedimentum medium,nec agens fortius in contrarium, ergo ita indifferenter poteſt fieri ſine deſtructione eius, ſicut ad deſtructionem eiuſdē, quod tamen ad ſenſum apparet falſum.

Cap. Octauum.

Primo phi. Tex. com. 64. Quod priuatio ſit vnum principium rerum naturalium.

OSTENSO quod materia, & forma ſunt res poſitiuę,& quod ſunt diſtinctæ,videndum eſt quomodo ſe habent ad generationem rei naturalis. Ponit autem Ariſt. quod ſunt principia rei naturalis tā in fieri, quam in eſſe,eo enim quod ſunt partes rei generatę, ſunt principia eius tā in eſſe, quam in fieri,quia res non poteſt fieri,nec eſſe ſine ſuis partibus eſſentialibus,cuiuſmodi ſunt materia,et forma,materia autem ſic eſt principium generationis,ſiue rei in eſſe,ſiue quando res fit,quod prius priuatur forma, quā debet accipere, & poſtmodum recipit formam, & informatur ea,ac cum ea conſtituit totum cōpoſitum generatum, propter quod non ſolum materia, et forma ponuntur principia generationis naturalis,& artificialis,quod ex hoc probatur, quia principia ſunt contraria, ſed iſta contrarietas non poteſt eſſe ſine priuatione, vel niſi ſecundum priuationem,& habitum, ergo principia ſe habent ſicut priuatio,& habitus,& per conſequens priuatio eſt principium. Quod autem principia ſint contraria patet per inductionem: quia cum non indifferenter ex quolibet fit quodlibet,ſed ſolū fit contrarium ex cōtrario,ſicut patet inductiuè, ergo principia ſunt contraria. Oportet autem ſcire quod priuatio hic large accipitur pro contrario, & priuatione largè ſumpta,vndę vnum contrariorū dicitur priuatio alterius propter repugnantiam formalem vnius contrarij ad reliquum,& ſic capiendo priuationem, priuatio ponitur principium,quod probatur ſic. Nam ſi aliquid generatur, aut materia pręhabet formam generati,aut non pręhabet eam; Si pręhabet eam, ergo ante generationem eſt generatum, quod eſt impoſſibile, ſi autem non pręhabet eam, ergo priuatur ipſa forma,ergo ſine priuatione non eſt generatio. iſta ergo ſunt principia,materia,forma,priuatio, vnde iſta in diffinitione exprimente quid nominis generationis, & generati debent poni,vt generatio ſic diffiniatur.

Diffinitio generationis.

Generatio eſt exiſtentia rei cuius materia prius fuit priuata forma,quam nunc primo habet, ita quod iſta tria materia, forma, & priuatio ponantur in diffinitione tam generationis,quā generati,& propter hoc dicuntur principia. Pro nunc autem cauſa efficiens,& finalis,nec ponuntur,nec dicuntur principia, prout nunc vtimur iſto nomine principium,quia non ponuntur in diffinitione exprimente quid nominis generationis, & generati.

Cap. Nonum.

Huius nois priuatio multiplicitas.

VISO quod materia,& forma,& priuatio ſunt principia generationis, & generati, videndum eſt de ſingulis, & primo de priuatione. Circa quod eſt ſciēdum,quod hoc nomen, priuatio, à diuerſis in diuerſis locis multipliciter accipitur; Vno modo dicitur priuatio forma expellenda quando alia forma introducitur, & ſic vna forma contraria eſt priuatio alterius,& etiam vna forma ſubſtantialis,quæ non poteſt ſtare cum alia in eadem materia, eſt priuatio alterius, & ſic albedo eſt priuatio nigredinis,& è cōuerſo. Similiter forma ſubſtantialis Ignis eſt priuatio formę ſubſtantialis aeris,& è conuerſo. Alio modo capitur priuatio pro ſubiecto, vt hoc nomen, priuatio, ſecundum iſtam acceptionem, & hoc nomen priuatum ſignificent omnino idem, & de ſe inuicem prædicētur,vt dicit Ariſt. primo Phi. Quoniam oportet aliquid ſubijci ei quod fit,

Tex. com. 62.

ſit, & hoc ſi numero eſt vnum, ſpecie autē non vnum. Specie enim dico, & ratione non idem. Et poſtea ſubdit; Et omnino materia eſt numeralis, hoc enim magis aliquid, quam priuatio, & non ſecundum accidens ex ipſo ſit quod ſit. Priuatio autem & contrarietas ſecundum accidens eſt. Quare poſtea ſubdit. Quare nec plura contrariorum ſunt principia quodammodo, ſed duo, vt eſt dicere duo numero, nec iterum penitus duo propter illud quod alterum eſt eſſe ipſis, ſed tria, alterum enim eſt eſſe homini, & non Muſico, & infigurato, & ęri. Ex quibus verbis ſequitur, quod ſubiectum, & priuatio ſunt vnū numero, ſimiliter ſubiectum, & priuatum ſunt vnum numero, ergo priuatio, & priuatum ſunt vnum numero, priuatio ergo ſecundum iſtam acceptionem, & pro eodem ſupponit, & idē ſignificat quod hoc nomen priuatum, & ideo ſicut hoc nomē, priuatum capitur pro ſubiecto, ita & hoc nomen priuatio capitur pro ſubiecto, & ideo non obſtante, quod hoc nomen priuatum ſtet, & ſupponat pro ſubiecto, vt hęc ſit concedenda, ſubiectum eſt priuatum, tamen alia eſt diffinitio ſubiecti, & priuati, ſcilicet iſtorum terminorum ſubiectum, & priuatum, ſic non obſtante quod ſubiectum, & priuatio ſint vnum numero, ita quod ſubiectum ſit priuatio, & priuatio eſt ſubiectum, tamen iſtorum nominum ſcilicet ſubiectum, & priuatio, ſūt diſtinctę diffinitiones exprimentes quid nominis. Et hoc eſt quod dicit Ariſt. quod ſunt vnum numero, ſed non ſpecie, ideſt ratione, vel diffinitione, quia Philoſophus capit rationem pro diffinitione, & eſſe, capit etiam pro ratione. Et hic eſt aduertendum, quod in iſta propoſitione, ſubiectum & priuatio ſunt vnum numero, & tamen differunt ratione, quę eſt vna copulatiua, cuius vtriuſque partis ſubiectum eſt hoc totum, ſubiectum, & priuatio, quamuis cauſa breuitatis non exprimatur ſubiectum bis, ſcilicet hoc totū ſubiectum, & priuatio, tamen ſubiectum, & priuatio diuerſimode, & ęquiuoce capiuntur in prima parte copulatiuæ, & in alia; nam in iſta parte ſubiectum, & priuatio ſunt vnum numero, ſubiectum accipitur ſignificatiuė, & pro re importata; ſed in iſta parte ſubiectum, & priuatio differunt ratione, ſubiectum, & priuatio accipitur aliter, & ęquiuoce, ſcilicet pro ipſis terminis ſignificantibus, & ſupponentibus pro aliqua re, ſicut in talibus homo, & album ſunt idem realiter, & differunt ratione. Nam in prima parte ſubiectum capitur ſignificatiuė pro re, pro qua ſupponit. In ſecunda parte capitur ſubiectum pro iſtis terminis, quia ipſi termini habent diuerſas diffinitiones. Et ſi dicatur quod diffinitiones non ſunt nominum, vel terminorum; ſed rerum. Dicendū eſt, quod licet hoc nomen diffinitum ſtet frequenter pro illo cuius eſſe per diffinitionem exprimitur, tamen in multis locutionibus ſtat pro termino, vel pro nomine, ſicut in primo Phyſic. in proœmio dicitur. Sumuntur autem hoc quodam modo nomina ad rationem; volens quod nomina ſunt diffinita, & conſequenter dicitur, quod diffinitio ſignificat idem explicite, quod diffinitum ſignificat implicite, in qua propoſitione diffinitum non ſtat niſi pro termino, vel pro voce, ſi ergo dicendum eſt, quod iſtorum terminorum, ſcilicet ſubiectum, & priuatio diuerſæ ſunt diffinitiones exprimentes quid nominis, quantumcunque hæc ſit vera, ſubiectum, & priuatio ſunt vnum numero. Tertio modo accipitur hoc nomen priuatio, pro nomine priuatiuo, ſecundum quod dicitur in Prędicam. quod vnum genus oppoſitionis eſt priuatio, & habitus, vbi capitur priuatio pro nomine priuatiuo, & habitus pro nomine poſitiuo, ſicut hoc nomen oppoſitio, & hoc nomen oppoſitum, & hoc nomen contradictorium accipitur pro nomine. Quarto modo accipitur hoc nomen priuatio, non proprie pro ſubiecto; ſed magis vt tota oratio transferatur in aliam orationem, & huic nomini priuatio vniuerſa vocabula aliarum partium correſpondeant, ſicut cum dicitur, à priuatione

ad habitū impoſſibilis eſt regreſſio, cuius intellectus non debet eſſe, quod regreſſio ſit impoſſibilis ab aliquo vno, vel pluribus, quę, vel quod importatur per hoc nomen priuatio; ſed intellectus eſt iſte, quod poſtquam aliquid priuatum eſt, aliquo modo poteſt ad illud regredi, & ſic capitur hoc nomen priuatio in multis locis, vt ſemper tales propoſitiones transferantur in aliam, & exponantur per eas.

Cap. Decimum.

PRÆMISSA diſtinctione prędicta de hoc nomine priuatio; Videndum eſt quomodo priuatio ponenda eſt principiū generationis naturalis. Primo tamen oſtendendum eſt, quod priuatio non eſt aliquid immaginabile extra animam diſtinctum à materia, & forma, & compoſito; ſed quicquid eſt intelligibile in re extra, quando res generatur, vel eſt materia, vel forma, vel compoſitum, niſi forte velis dicere, quod vltra iſta eſt accidens, de quo manifeſtum eſt, quod non eſt priuatio, quæ eſt principium generationis ſubſtātię; Quod autem priuatio non ſit aliquid diſtinctum à materia, & forma, & compoſito. Primo probandum eſt per rationem; Secundo per auctoritatem; Per rationem ſic. Primo: quia ſi priuatio eſſet aliquid diſtinctum a prędictis, oporteret, quod eſſet in materia, ſecundū quod illi ponunt priuationem diſtingui a materia, & forma; ſed priuatio non eſt in materia, cum reſpectu diſtinctę formę ſit diſtincta priuatio; ſed ſecundum ſic ponentes pro eo, quod vna priuatio aufertur ſine alia ſecundum hoc, quod vna forma inducitur ſine alia, ſequeretur quod in materia eſſent tales res infinitę, quod eſt abſurdum, quia nulla infinitas infinitorum ſecundum ſe diſtinctorum non facientium vnum per ſe, eſt in rerum natura. Secundo ſic, ſi priuatio eſſet in materia, cum nulla priuatio ſit materię coęterna, ſequitur quod aliquando materia priuabitur vna priuatione, qua adueniente, materia ipſa priuatione priuabitur, & ita adueniente forma, non tantum expelleretur forma, ſed etiam induceretur priuatio priuationis pręcedentis, quod non videtur intelligibile. Tertio ſic, ſi priuatio diſtingueretur extra animam a materia, & forma, & compoſito, tunc aut eſſet nihil, & hoc nō, quia quod nihil eſt, a nihilo diſtinguitur, quia idem, & diſtinctū ſunt differentiæ entis: Aut aliquid, & ſi ſic, ergo priuatio eſſet forma, quia nulla res eſt in materia niſi forma. Sed fortè dices, quod priuatio nō eſt aliquid poſitiuū; ſed negatiuum, & eſt in materia tanquam negatiuum, & non tanquam poſitiuum. Sed hoc non valet, quia quero, aut priuatio eſt aliquid, aut omnino nihil, ſi eſt aliquid, procedunt argumenta priora, ſi omnino nihil, ergo non eſt in materia, quia illud quod omnino nihil eſt, in nullo eſt, impoſſibile eſt enim, quod illud, quod omnino nihil eſt, ſit in aliquo. Ex quo vlterius ſequitur, quod priuatio non eſt principium generationis, quia quod omnino nihil eſt, nullius eſt principium. Dicendum eſt ergo, quod priuatio non eſt aliquid in rerum natura extra animam quomodocunque diſtinctum à materia, & forma; ſed priuatio, quę eſt extra, vel eſt materia ſecundum vnam ſignificationem, vel eſt forma expellenda ſecundum aliam ſignificationem.

Quid ſit priuatio quæ eſt principium.

Cap. Vndecimum.

IAM videndum eſt quomodo priuatio eſt principium diſtinctum à duobus, ſcilicet à materia, & forma, cum Ariſtot. ponat tria principia, ſcilicet materiam, formam, & priuationem. Si autem priuatio capitur pro forma expellenda, facile eſt videre quomodo poteſt eſſe principium generationis naturalis, non quidem per ſe; ſed per accidens, licet talis priuatio non ſit principium cuiuslibet generationis, quia quædam eſt generatio, vbi nulla forma expellitur, ſed tantum introducitur, & de generatione quidem accidentali

Quomodo diſtinguatur priuatio à materia, & forma.

dentali hoc manifeſtum eſt, ſicut in illuminatione aeris, & ſenſatione, & in multis aliis. Sed de generatione ſubſtātię eſt magis dubium; quod tamen loco ſuo declarabitur. In generatione verò, quę eſt cum alterius formę expulſione, forma abiecta poteſt dici principium generationis, non quia ſit cauſa, vel pars generationis realis extra animā, vel generati; ſed quia expulſione illius incipit generatio eſſe, ita & quod ipſa expulſa tunc primo eſt generatio, & tunc primum eſt generatum. Et ſi talis generatio diſtincta contra generationem, quę poteſt eſſe ſine formę expulſione, debet diffiniri in diffinitione eius exprimente quid nominis ponetur nomen formę expellendę, ſiue expulſæ, & ita foret principium non per ſe quidem conſtituens eſſentiam generati, ſed per accidēs præcedens neceſſariò generatum. & tanquam aliquid recipiendum in diffinitione exprimente quid nominis eius. Si autem capitur priuatio pro ſubiecto, facile eſt videre quomodo eſt principium, ex quo ſubiectum eſt principium. Sed habet difficultatem quomodo eſt tertium principiū diſtinctum a materia, & forma. Circa quod dicendum eſt, quod non eſt imaginandum, quod præter formam expellendam, ſit à parte rei aliquod tertium quocunque modo diſtinctum a materia, & forma, quod ſit tertium principium; ſiue per ſe, ſiue per accidens: nec hoc intendit Ariſt. ponens tria principia ſicut apparebit; ſed à parte rei ſunt duo, quorum vnū ſcilicet ſubiectum primo priuatur forma neceſſariò, & poſtea habet eā, quod quidem ſubiectū eſt ex hoc in potentia, quia neceſſariò ad hoc quod ſit ſubiectum generationis requiritur, quod primo priuetur forma, & poſtea habeat eam, & ideo eſt nominabile duobus nominibus. ſicut poſitio, & priuatio, habentibus diuerſas diffinitiones, quę nomina duo, vnà cum nomine formæ, debent cadere in diffinitiones generationis, & generati: ita quod de tribus nominibus non ſynonimis; quorum quodlibet debet poni in diffinitione generationis, & generati, prædicetur verè hoc nomen principium, vnde quęlibet talis eſt vera, materia eſt principium, forma eſt principium, priuatio eſt principium. Sed forte dices, quod Ariſt. non loquitur de nominibus; ſed de rebus ſignificatis per nomina; non ergo ſunt tantum tria nomina; ſed erunt tria pręter nomina, quæ ſunt principia. Pręterea, nullum nomen eſt principium generationis rei naturalis, ergo non ſunt tria principia propter trinitatem nominum. Dicendum eſt, quòd Ariſtotel. in Philoſophia ſua naturali, & in aliis ſcientiis ſæpè loquitur de nominibus, pro nominibus, quantumcunque ſit Philoſophus realis, & hoc quia ſæpe propoſitiones, in quibus nomina prædicantur de nominibus pro nominibus, conuertuntur in propoſitiones, in quibus omnes termini ſumuntur ſignificatiuè, ſicut iſtę duæ conuertuntur, animal prædicatur de homine, & homo eſt animal, & ſicut iſtę duæ, album prædicatur de corpore, & corpus eſt album. Similiter iſtæ conuertuntur, principium prædicatur de ſubiecto priuato; & forma, & ſubiectum eſt principium, & priuatum eſt principium, & forma eſt principium, & ideo cum logica præſupponatur omni ſcientiæ reali, non eſt inconueniens, quod Philoſophus in ſcientia naturali vtatur aliquo termino logicali, & aliqua propoſitione conuertibili cum vna propoſitione, vel pluribus, in qua, vel quibus omnes termini ſumuntur ſignificatiuè, & ſic eſt in propoſito. Ad ſecundum dicēdum, quod Ariſt. non concedit abſolute quod ſint tria principia; ſed dicit, quod ſunt quodammodo duo, & quodammodo tria, per hoc volens innuere, quod à parte rei vere, & realiter non ſunt niſi duæ res, quæ ſunt principia, & tamen de tribus nominibus habentibus diuerſas diffinitiones prędicatur vere hoc nomen principiū, licet duo iſtorum nominum ſupponant per eodem, & hoc

eſt

eſt quod dicit Ariſt. primo phyſicorum. Quod ſubiectum, & oppoſitum numero quidẽ vnum, ſpecie autem duo, hoc eſt ſubiectum, & oppoſitũ, ideſt priuatio verè ſunt vnum numero, & realiter. tamẽ ſpecie; ideſt ratione, vel diffinitione iſti termini ſubiectum, & oppoſitum, ſunt duo; ideſt habent duas diffinitiones diſtinctas, & hoc eſt quod ipſe concludit. Quare neq; plura contrariorum ſunt principia quodammodo, ſed duo, vt eſt dicere duo numero, nec iterum penitus duo propter illud quod alterum eſt eſſe ipſis ſecundum tria, alterum enim eſt eſſe homini, & non muſico, & infigurato, & æri, hoc eſt quodammodo nõ ſunt plura principia quam principia contraria, ſed duo, quia ſcilicet plures res extra animam non ſunt principia, quam illę pro quibus nomina, contraria ſupponunt. Sicut non ſunt plures res, quę ſint principia contraria, quam illæ pro quibus ſupponunt iſta nomina ſcilicet priuatum, & forma, quę ſupponunt pro materia, & forma, quæ ſunt principia, & ita tantum ſunt duo principia; ideſt res ſunt tantum duę, quæ ſunt principia generationis, & tamen non obſtante, quod non ſint plures res, quam duę numero, principia tamen ſunt non penitus duo, propter illud quod eſt eſſe alterũ ipſis, ideſt non tantũ de duobus verè prędicatur hoc nomen principium, ſed etiam de pluribus propter diuerſas diffinitiones conuenientes illis, de quibus verè prędicatur hoc nomen principium, ſicut alia eſt diffinitio hominis, alia nõ muſici: quãtumcunq; homo, & non muſicus ſint idẽ realiter, & non diſtincta. Similiter alia eſt diffinitio æris, & infigurati: quãtumcunq; æs, & infiguratum ſint vnum, & idẽ realiter, & propter tales diuerſas diffinitiones poteſt dici, quod quodammodo ſunt tria principia, licet realiter non ſint, niſi duo principia, &c. Tex Com. 67.

Cap. Duodecimum.

AD Euidentiam intentionis prędictę, quæ eſt Ariſt. vt mihi videtur, ſunt aliqua prænotanda, & aliqua probanda ex dictis eius. Eſt autem notãdum, quod Ariſt. & alii auctores ſæpe ponunt actum exercitum pro ſignato, & ſæpe e conuerſo, ſicut quando dicitur homo eſt primo riſibilis, ponitur actus exercitus pro actu ſignato, ſcilicet pro iſto, de homine primo prædicatur riſibile, non quidem pro ſe; ſed pro ſingularibus eius, ſic eſt in propoſito, nam iſte eſt actus exercitus, tria ſunt principia, & tamen ponitur pro iſto actu ſignato, de tribus verè prædicatur principium. Secundo notandum, quod Ariſt. per diuerſa eſſe intelligit diuerſas diffinitiones exprimentes rem & conuertibiles cum diuerſis nominibus, quæ quãdoq; idẽ ſupponunt, & ſtant pro eadem re, ſicut per diuerſa eſſe hominis, & non muſici intelligit diuerſas diffinitiones cõuertibiles cum iſtis nominibus homo non muſicum, quæ ſupponũt pro eodem, quia idem eſt homo, & non muſicum. Tertio eſt notandum, quod Ariſt. per diſtingui ſpecie non intelligit diſtinctionem ſpecificam aliquarum rerum extra animam, ſed per diſtingui ſpecie intelligit diſtingui ratione, ideſt diffinitione, quod non eſt aliud, quam habere diuerſas diffinitiones, dicente eo, ſicut allegatum eſt ſupra, ſpecie, & ratione non idem dico, vbi capit rationem pro diffinitione. Quarto notandum eſt, quod licet ſint diuerſę diffinitiones, poterunt tamen de eodem verificari, quamuis illud non ſit primum diffinitum per vtramq; iſtarũ, & ideo licet hominis, & non muſici ſint diuerſę diffinitiones, tamen vtraq; poterit de homine verificari, & propter hoc dicit Ariſt. quod ſubiectum ſi ſit vnum numero, tamen eſt ſpecie duo, ideſt licet ſubiectum non ſit, niſi vna res tantum, tamen diuerſę diffinitiones ſignificãt ipſam, & prædicantur de eius nomine. Iſtis viſis oſtendo, quod de intentione Ariſt. eſt, quod non ſunt, niſi duo principia à parte rei. Primo ſic, Ariſt. dicit quod ſubiectum, & oppoſitum ſunt vnum numero, ſicut homo, & non muſicũ ſunt vnum numero. Tunc quæro, aut inter Tex. com. 67. Tantum duo eſſe principia rerum naturalium realia extra animã.

inter ſubiectum, & oppoſitum extra animam eſt aliqua diuerſitas, vel diſtinctio, aut nulla, ſi nulla, habetur propoſitum, quod a parte rei nulla eſt diuerſitas principiorum, niſi materię, & formę, & ideo non ſunt extra animam, niſi duo principia. Si autem inter ſubiectum, & oppoſitum eſt aliqua diſtinctio ex parte rei, aut ergo oppoſitum eſt aliquid, vel nihil, ſi nihil, ergo non eſt vnum numero cum eo, quod eſt ens, quia ens, & non ens non ſunt vnum numero. Si autem eſt aliquid, aut ergo eſt ſubſtantia, aut accidẽs, ſi ſubſtãtia, & eſt diſtinctum, ergo ſunt ibi duæ diſtinctæ ſubſtantię, quod eſt manifeſtè falſum, quia illa ſubſtantia alia à materia, nec poteſt dici materia, nec forma, nec compoſitum. Similiter hoc poſito ſequeretur, quod ſubiectum, & oppoſitum non ſunt vnum numero. Si autem eſt accidens, ergo non ſunt vnum numero, quia Socrates, & ſua albedo non ſunt vnum numero, cum plus diſtinguantur, quàm Socrates, & Plato, qui non ſunt vnũ numero. Et ſi dicatur, quod Ariſt. in pluribus locis dicit ſubiectũ, & accidens sũt vnum numero. Dicendum, quod Ariſt. ibi non accipit pro re inhęrente alijs, ſed accipit accidens pro re prędicabili cõtingenter, & accipit actum exercitum pro actu ſignato, vt iſte ſit ſenſus, de ſubiecto, & accidente prædicabili contingenter prędicatur vnum numero, ſic dicẽdo, homo, & album ſunt vnum numero. Et talia exempla ponit Ariſt. & nunquàm dicit quod homo, & albedo ſunt vnum numero. Sic ergo patet, quod inter ſubiectum, & oppoſitum nulla penitus eſt diſtinctio extra animam, vel ſequeretur, quod non ſunt vnum numero; ſed ſunt vnum numero ſecundum Ariſtotel. ergo nulla penitus eſt ibi diſtinctio, & per cõſequens à parte rei non ſunt niſi duo principia. Præterea Philoſoph. exemplificat de homine, & nõ muſico, de ære, & infigurato, ſed homo, & nõ muſicũ nullo modo sũt diſtincta, nec etiam æs, & infiguratum, ergo nec ſubiectum, & oppoſitũ, probatio antecedentis, quia arguitur ſyllogiſticè ſic, nullus homo diſtinguitur ab homine, nõ Muſicũ eſt homo, ergo nõ Muſicũ nõ diſtinguitur ab homine. Similiter nullũ ęs diſtinguitur ab ære, infiguratũ eſt ęs, ergo infiguratum nõ diſtinguitur ab ere. Pręterea ſi ſubiectũ, & oppoſitum sũt diſtincta, aut ergo ſubiectũ, & oppoſitũ ſupponũt pro re ſignificata per ipſa, aut pro ſeipſis, ſi pro ſe, tũc nõ sũt vnũ numero, ſi pro re, eadem eſt res pro qua ſupponũt, ergo nõ sũt diſtincta, & per cõſequens propter ſubiectũ, & oppoſitum nõ eſt ponẽda aliqua pluralitas principiorũ à parte rei, & ita à parte rei nõ sũt niſi duo principia. Quod etiã patet per Ariſt. vbi dicit quod ſufficiẽs erit alterũ contrariorũ facere abſentia, & pręſẽtia mutatione. Ex quo arguitur ſic, ex ſola abſẽtia rei nõ ſequitur aliqua pluralitas in materia, vel ex pręſẽtia formę nõ ſequitur niſi pluralitas materię, & formæ, ergo cũ forma per ſui abſẽtiam, & pręſentiam faciat ſufficiẽter mutationem, ad mutationẽ nulla requiritur pluralitas, niſi quod primo forma nõ ſit pręsẽs materiæ, & poſtea fiat pręsẽs eidem, iſta ergo duo ſufficiũt ad mutationem, ſcilicet materia, & forma, vt primo materia careat forma, & poſtea habeat eam: patet ergo ex verbis Philoſophi, quod pro eodem vtũtur iſtis duobus vocabulis, ſcilicet priuatio, & priuatum.

5. Methaphiſ. Tex. 7.

Primo Phy. Tex. com. 68.

Cap. Decimum tertium.

Rationes quibus probatur priuationem realiter diſtingui à materia.

QVONIAM ſolutio dubiorũ eſt veritatis declaratio, ſubiũgendę ſunt aliquę obiectiones cõtra dicta ad probandũ, quod nõ eſt de intẽtione Ariſtot. negare diſtinctionem à parte rei inter ſubiectũ, & priuationem, quod probatur. Primo ſic, nihil eſt in ſeipſo, priuatio eſt in materia, ergo priuatio nõ eſt materia. Pręterea nihil ſubiicitur ſibi ipſi, ſed materia ſubiicitur priuationi, ergo &c. Minor patet, nam dicit Ariſtotel. quod oportet ſubiici aliquid contrariis, ergo mate-

materia non eſt priuatio cui ſubiicitur.

Primo Phi. Tex. com. 64. Tex. com. 79.

Tertio ſic, ſecundum Ariſt. materia manet, ſiue ſubiectum, priuatio autem non manet, ergo non eſt idem, quia manens, & non manens, non ſunt idem. Quarto ſic per Commentatorem in diuerſis locis, priuatio corrumpitur in aduentu formæ; ſed materia, ſiue ſubiectum non corrumpitur in aduentu formæ, ergo non ſunt idem.

Tex. com. 67.

Quinto ſic, Ariſt. ponit quod priuatio eſt principium per accidens non per ſe, quo dato, quæro pro quo ſtat ibi ly priuatio, aut pro ſubiecto, vel materia, aut pro voce, aut pro aliquo alio a parte rei, ſi pro ſubiecto, vel pro materia, falſum dicit, quia materia non eſt principium per accidens, ſed per ſe, ſi pro voce, falſum dicit, quia illud nomen nec per ſe, nec per accidés eſt principium, ſi pro aliquo alio a parte rei, habetur propoſitum, quod eſt omnino aliquod aliud à materia, quod eſt principium tertium.

Pro iſtis ſciendum eſt, quod Ariſt. & Augu. frequenter vtuntur ſermonibus improprijs, & figuratiuis, & tropicis, ſicut communiter dicitur, quod ſermones autentici ſumendi ſunt in ſenſu, in quo fiũt, & non in ſenſu, quem faciunt, & ideo plus attendenda eſt eorum intentio, quàm eorum verba, immo frequenter eorum verba ſunt exponenda, quæ niſi in bono ſenſu exponantur, falſa ſunt ſimpliciter, talis autẽ expoſitio facienda in auctoribus extrahẽda eſt ex dictis autenticis, & partim ex euidenti, & manifeſta ratione, & ideo eſt dicendum, quod Ariſt. multos ſermones ponit improprios de priuatione, & ideo ſunt exponendi.

Dilutio rationum.

Ad iſta ergo dico, & primo ad primum, quando dicitur, nihil eſt in ſe ipſo, quod hoc eſt verum ſecundum proprietatem verborum; ſed quando dicitur, priuatio eſt in materia, iſta non eſt vera; niſi bene intelligatur, vt iſte ſit ſenſus, materia eſt priuata, vnde per tales propoſitiones, materia habet priuationem, materia eſt ſub priuatione, in materia eſt priuatio, ſemper debet intelligi iſta materia eſt priuata forma, quam non habet. Ad ſecundum dico, quando dicitur, quod ſecundum Philoſophum oportet aliquid ſubiici contrarijs. Dicendum eſt, quod quando contrarium eſt forma contraria, vel repugnãs formæ expellendæ, tunc verum eſt, ſicut ſonat quod aliquid ſubiicitur contrarijs, quando autem nulla forma expellitur, tũc non eſt verum, ſicut ſonat; ſed debet intelligi ſic, quod materia primo priuatur forma, & poſtea informatur ea, & hoc ſufficit ad mutationem; Aliter poteſt dici ad iſtas duas obiectiones. Ad primam quod priuatio eſt in materia per prædicationem, & non per realem inexiſtentiam, quia hæc eſt vera; materia eſt priuata. Ad ſecundam, quod aliquid ſubiicitur contrarijs per prædicationem, ita quod iſtæ ſunt ſucceſſiue veræ, materia eſt priuata, materia eſt informata, quarũ veritas cauſatur ex hoc, quod materia primo caret forma, & poſtea habet eam, vnde ponatur quod materia nihil habeat penitus ſcilicèt, quod non habeat formã, & poſtea habeat eam, verè primò eſt priuata forma, & poſtea eſt informata ea. Et ita ad mutationem nihil requiritur, niſi quod materia præexiſtens primo non habeat formam, & poſtea habeat formam, & per conſequens non oportet ponere aliquod tertium diſtinctum ab eis. Ad tertium dicendum, quod ideo dicit Ariſt. quod priuatio non manet, quia adueniente forma falſum eſt dicere, quod ſubiectum ſit priuatum, nec materia dicitur amplius priuata illa forma, ſed illud quod prius erat priuatum, tunc verè manet non priuatum & quod hæc ſit intẽtio Ariſt. patet, quia ſicut dicit, quod priuatio, ſiue oppoſitum non permanet, ita dicitur, quod non muſicũ, & immuſicũ nõ permanent aduenĩete muſica, & tamen manifeſtum eſt, quod omnino res, quæ fuit nõ muſicũ permanet, vnde iſte idẽ qui prius erat non muſicus, ſi modo eſt muſicus, permanet: licet hæc tunc non ſit vera, permanet non muſicum. Vult ergo Ariſt. dicere quod adueniente forma, hæc eſt vera, ſubiectum permanet,

& non

& non iſta, permanet priuatum, vel permanet non muſicum, non quia aliquid, quod prius erat, ſit corruptum; ſed quia illud ſubiectum, quod prius erat priuatú, & carens muſica, nũc non eſt priuatum; ſed eſt habens muſicam. Ad quartum dicendum, quod hęc eſt metaphorica locutio, priuatio corrumpitur in aduentu formę, quę tamé vera eſt ſub intellectu Cómen. qui eſt iſte, ſubiectum ceſſat priuari forma in aduentu formę, & conſimiliter debeant intelligi auctoritates Commen. quę ſonát priuationé eſſe in materia, priuationem fieri, vel corrúpi, quia per omnes tales, & conſimiles non intelligitur, niſi quod materia quandoque eſt priuata forma, & quandoq; nó eſt priuata forma illa. Ad vltimum dicendú eſt, quod Ariſt. non intendit negare iſtam priuationé per ſe principiú, ſi ſic; ſicut prima facie ſonat intelligatur, ſuppoſito, quod hoc nomen priuatio ſtet, & ſupponat pro materia, quia iſte ſyllogiſmus eſt bonus, hæc materia eſt per ſe principium, priuatio eſt hęc materia, ergo priuatio eſt per ſe principium. Sed intelligit Philoſophus, quod hęc eſt per accidés, & nó per ſe, priuatio eſt principiú; quod quidem verú eſt, nam ſi hęc eſſet per ſe, priuatio eſt principiú, hoc nomé, priuatio, nó ſignificaret negatiue, illud quod eſt principium per ſe, cuiuſmodi eſt forma. Dicendú eſt ergo, quod hęc eſt per accidens, & nó per ſe, priuatio eſt principium; & hoc, quia priuatio ſignificat formam non exiſtétem, quę tamé eſt principium per ſe, & quę non poteſt eſſe principiú, niſi quádo exiſtit. Sed quęres fortè, ſi priuatio eſt principiú, quomodo hæc eſt vera, priuatio eſt principium, aut quádo priuatum eſt, aut quádo priuatum nó eſt? nó poteſt dari primú, nam túc hæc eſſet falſa, priuatio eſt principiú; quia ſequitur, priuatio eſt principium, ergo materia eſt priuata; ſed conſequens, tunc eſt falſú, ergo, & antecedés, nec poteſt dari ſecundú, quia nihil eſt principiú nó entis, ergo priuatio nó eſt principium, antequá principiatú ſit. Dicendum, quod iſta poteſt concedi abſolutè, priuatio, ſiue priuatum eſt principiú, quádo principiatum nó eſt ſub bono ſenſu, vel intellectu illo, ſcilicet, ſubiectú priuatur forma, quę poſtea informabitur, vt iſta propoſitio, priuatio eſt principiú, ęquiualet iſti de futuro, quæ eſt expreſſa, & pro táto dicatur principiú per accidés propter cauſam prius dictam, quia ipſa nó eſt vera, ſi intelligatur merè de pręséti, ſcilicet, quádo principiatú eſt; & cum dicitur nihil eſt principiú non entis, verú eſt per ſe, tamé, per accidens ſub bono ſenſu, vel intellectu prius dato aliquid poteſt eſſe principium nó entis, hoc eſt dictu, aliquid poteſt eſſe priuatum aliqua forma, quę nó eſt, quá immediatè poſt habebit, cú qua faciet per ſe vnú cópoſitú.

Cap. Decimum quartum.

VIDENDVM Eſt iam de numero principiorum, quot ſunt, & intédo hic loqui de materia, & forma præciſe; quia ex dictis apparebit, quid proportionabiliter eſt dicendum de priuatione. Dico ergo, quod licet Philoſophus ponat tria principia aliquo modo, & quodammodo tamen duo, non tamen intelligit hoc ſicut prima facie ſonat, & ſicut moderni intendunt, non enim vult, quod aliqua duo, quę ſunt ſint prima principia cuiuſlibet generationis, & generati, licet ponatur, quod ſint aliqua principia poſteriora primis principiis. Sed intelligit, quod cuiuslibet generationis, & generati ſunt duo principia prima per ſe, ſcilicet materia, & forma, tamé diuerſorum generatorum ſunt diuerſa principia prima, ita quod cuiuslibet generati ſunt duo principia, ſcilicet materia, & forma illius generati, & ideo ſunt alia principia prima iſtius generati, & alia illius, ita quod alterius, & alterius generati ſunt alia, & alia principia prima, licet, ſicut poſt dicetur, idem eſt principium quandoq; diuerſorum principiatorum, ſeu generatorum ſibiinuicem ſuccedentiú. Sed quomodo dicit tunc Ariſtot. quod ſunt duo principia tantú? Dicendú quod iſta eſt vera, cuiuslibet generationis vnius ſú. duo principia tantum, quia quęlibet

Quomodo verum ſit quod omniú generabilium ſint duo principia tantú.

ſingularis eſt vera, ſcilicet iſtius generationis ſunt duo principia tantum, & illius generationis ſunt duo principia tãtum, & ſic de ſingulis, & tamen cum hoc ſtat, quod ſint plura principia ſimpliciter, quã duo, quia quot ſunt generata ſimul ex ſtẽtia, tot ſunt, & plura principia, quia ſcilicet in duplo plura ſunt principia per ſe, & hæc eſt intentio Philoſophi. Aliter eſt dicendum, & reddit in idem, quod tantũ ſunt duo genera principiorum per ſe, ſcilicet materia, & forma, ita quod quodlibet principiorũ per ſe, vel eſt materia, vel forma: tamẽ iſta generã non ſunt principia rerũ extra: ſed ſunt nomina cõmunia ad principia rerũ, quę variantur, ſicut. &. generata. Et probo quod quot ſunt generata tot ſũt, &c. quia principii per ſe, aut ſũt ſingularia: aut vniuerſalia; ſi ſingularia,

Contra reales.

manifeſtũ eſt, quod alia forma ſingularis eſt in vno generato, & alia in alio; ergo quot ſunt generata, tot ſunt formę in eis, quę ſunt per ſe principia eorũ. Si dicatur quod illa per ſe principia prima ſunt quędam vniuerſalia cõtra ſingularibus. Cõtra ſecũdum Ariſtot. 7. Metaphy. nullũ vniuerſale

Tex com. 48.

eſt ſubſtãtia; ergo nullũ vniuerſale eſt principiũ per ſe alicuius ſingularis. Prçterea, licet materia prima, quæ eſt primũ principium pręcedat generatum: tamẽ forma, quæ eſt principium primũ non pręcedit generatũ; ergo nõ eſt principiũ illud vniuerſale. Itẽ forma, quę eſt primum principiũ per ſe alicuius generati habet eſſe per generationẽ; ergo non præcedit: ſed vniuerſale præcedit: ergo &c. Itẽ ſecundum ponẽtes ſic, circa prima principia eſt mutatio per ſe; ſed ponẽtes vniuerſalia extra dicũt quod ſecundũ vniuerſalia nõ eſt mutatio niſi per accidens; ergo prima principia nõ ſũt vniuerſalia. Dicendum eſt ergo quod cum Philoſophus ex intentione reprobet illam opinionem quæ ponit vniuerſalia eſſe ſubſtantias. Sequitur quod reprobanda eſt opinio ponens vniuerſalia eſſe principia ſubſtantiarum. Dicendum eſt ergo quod principia non ſunt vniuerſalia: ſed ſunt ſingularia, quæ plura ſunt numero in diuerſis ita quod hæc forma iſtius generati, eſt primum principium iſtius generati: & illa forma alterius generati eſt principiũ illius, & ſic eſt de materia: quia alia eſt prima materia mea, & alia eſt prima materia tua, & ſic de aliis: tamẽ ad quãcunq; generationem ſufficiunt duo principia prima, ſcilicet materia, & forma. Sed ad diuerſam generationem requiritur diuerſa materia, ſi ſimul ſit cum alia generatione, & diuerſa forma, ſi ſimul ſunt generationes. Sic ergo patet, logicè loquendo, quod iſta eſt concedenda, cuiuslibet generationis, & generati ſunt tantum duo principia, ſcilicet materia, & forma: quia quęlibet ſingularis eſt vera: ſed iſta eſt falſa, tantũ duo ſunt principia cuiuslibet generationis: quia quęlibet ſingularis, exponentis affirmatiuè eſt falſa.

Cap. Decimum quintum.

Hic agitur de materia quo ad eius eſſe.

IAM dicendũ eſt de materia, & forma in ſpeciali, quid ſunt, & de proprietatibus earum. Et primo de materia circa quam eſt ſciendum, quod materia eſt quędam res actualiter exiſtẽs in rerũ natura, quæ eſt in potẽtia ad omnes formas ſubſtantiales nullam habens neceſſariò ſẽper ſibi inhęrentem, & inexiſtentem. Sed quacumque forma ſubſtantiali data ipſa materia poteſt ea priuari, & poteſt eã habere ſecundum quod agens quandoque cauſat eam in materia, quandoque non cauſat, & ideo non eſt imaginandum, quod materia ſit quid in potentia tantũ de ſe, ſcilicet ad eſſendũ ad modum, quo albedo futura eſt tantum in potentia. Sed materia eſt verè actu ex ſeipſa: ita quod per nullã virtutẽ poteſt eſſe in potentia ad eſſe in rerũ natura, ſcilicet ſẽper eſt actu in rerũ natura, licet ſẽper ſit in potẽtia ad formã, qua priuatur, imo ipſa eſt de ſe ingenerabilis, & incorruptibilis: quę per nullam potentiã poteſt non exiſtere; & ideo eſſe ſuum propriũ non habet à forma: ſed eſt quędã entitas indiſtincta à quodam eſſe: quod eſſe, vel entitas priuatur alio eſſe, ſiue alia entitate, quã habet recipere, ſcilicet forma iſta, quod nihil recipit, pręter formam

formã: neq; imaginandum eſt, quod forma aliquid aliud à ſe cauſet in materia, quaſi materia recipiat à forma quoddam eſſe medium inter materiã, & formã: ſed materia recipit ipſam formam, & eſſe, quod eſt realiter forma, & nihil aliud recipit, & iſtę duę entitates partiales faciũt vnũ totum, vel magis propriè loquendo, ſunt duæ partes vnius entis, ſeu eſſe totalis, quod eſt compoſitum ex illis, & materia recipit ſucceſſiue diuerſas formas, & diuerſa eſſe formalia, quę ſunt realiter ipſę formę: quę materia eſt vna numero in generato, & corrupto, licet ſint in diuerſis generatis ſimul exiſtentibus diuerſę materię, quę sũt omnino eiuſdẽ rationis, & poſſunt facere vna materiam numero ad modũ quo duæ aquę ſeparatę adinuicẽ poſsũt vniri, & facere vnam aquã numero. Sic materia prima aſini, & materia prima hominis poſsũt tranſmutari a formis ſubſtantialibus aſini, & hominis ad formã ſubſtantialẽ aëris, vel ignis, vel alterius corporis; quę poſsũt vniri, & facere vnum numero: & tunc eodem modo illę materiæ coniunctę faciũt vnam materiam numero. Iſta autẽ prima materia licet ſit vna, res exiſtens in rerum natura: non tamen a ſenſu, vel intellectu eſt apprehenſibilis cognitione propriã, & ſimplici: ſed eſt intelligibilis per analogiã ad formam tantum, ideſt tantum poteſt cognoſci notitia compoſita ſub forma: quia eſt quędam entitas ſe habens ad formam ſubſtantialẽ: ſicut ſubiectum ſe habet ad diuerſas qualitates, quas recipit, vel poteſt recipere ſucceſſiue: & ſicut idem corpus poteſt ſucceſſiue eſſe in diuerſis locis: quare &c.

Cap. Decimum ſextum.

Probatio dictorũ pręcedẽtis capituli.

VTRVM materia ſit quędam entitas actualis, manifeſtũ eſt quod ſic: quia illud, quod nõ eſt, nullius poteſt eſſe principium: ſed materia actualiter eſt pars, & principium entis compoſiti; ergo ipſa eſt, actualis entitas in actu. Secundo ſic, omnis ſubſtantia, quę eſt in actu, eſt in rerũ natura: ſed materia eſt ſubſtãtia, cũ ſit pars, & principium ſubſtãtię, & illud quod eſt ſubſtãtia, nõ cõponatur, niſi ex ſubſtãtiis ſecundũ Ariſtot. ergo materia eſt verè ſubſtantia in actu. Tertio ſic, illud, quod non eſt in actu, ſed poteſt eſſe in actu, poteſt produci, & eſſe de nouo; ſed materia non poteſt produci, nec eſſe de nouo; quia tunc non ſupponeretur generationi, ergo materia vere eſt in actu. Quarto ſic, ſi materia non eſſet in actu, hoc non eſſet, niſi quia materia nunquam eſt ſine forma: ſed ſicut materia nunquã eſt ſine forma, ita forma nunquam eſt ſine materia; ergo qua ratione materia non dicitur in actu eſſe: quia nũquam eſt ſine forma, eadẽ ratione diceretur formã non eſſe in actu: quia nũquam eſt ſine materia, conſequens eſt falſum, ergo ex quo ſequitur. Sed dices quod hoc cõtra intentionem Ariſtot. & Com. dic. quoniam ſubſtentatur per poſſe, ergo materia, vel ſubſtantia materię eſt quędã potẽtia, ergo nõ eſt actus. Preterea ſi materia eſſet de ſe quidã actus, ergo nõ eſſet in potentia ad omnẽ actũ; quod vid. eſſe cõtra Philoſophũ, qui videtur dicere, quod eſt in potentia ad omnem actũ, & quod nullũ actũ habet de ſe. Ad euidentiã iſtorũ eſt ſciendũ quod actus capitur multipliciter, vno modo ſumitur ſtrictè pro actu informante aliud, & aduenięte ſibi de nouo. Secũdo modo capitur prout diſtinguitur cõtra eſſe in potentia, ideſt contra illud, quod nõ eſt in rerũ natura: ſed poteſt eſſe; primo modo capiendo actũ, dicendũ eſt quod materia eſt in potentia ad omnẽ actum ſubſtantialẽ, & nullũ actum habet de ſe: ſed eſt pura potẽtia, diſtinguẽdo potẽtiam, cõtra actũ ſic ſumptũ: quia tũc actus ſumitur pro forma ſubſtãtiali aduenięnti ipſi materię & ſic Com. capit actũ, & ideo omnes ſuę auctorit. ſunt verę, ſecũdo modo capiẽdo actum: dico quod materia eſt quidã actus, ideſt materia eſt exiſtẽs in rerũ natura, nec eſt in potẽtia ad omnẽ actum; quia non eſt in potentia ad ſeipsã. Per hoc ad primũ dicẽdum, quod ideo dicit Com. quod materia ſubſtentatur pro poſſe; quia ſuper ſubſtãtia materię eſt in po-

Tex. com. 51.

Contra propriã ſententiam in de ſubſtantia orbis cap. 1.

Hæc dictio actus, dicitur multis modis.

Reſponſio ad obiecta

potentia ad aliquã formam: quia eoipſo, quod recipit vnã formã: eſt in potẽtia ad aliã. Et ſi queres, nunquid potentia eſt de eſſe, vel ſubſtãtia materiæ: & nũquid materia eſt ſua potẽtia? Dicendũ eſt quod ſecundũ bonũ intellectũ vtrumq; poteſt cõcedi: licèt magis propriè debeat dici, quod potentia eſt ſubſtãtia materię, ideſt potentia eſt ſubſtãtia, quę eſt materia, & materia eſt potẽtia: quia materia eſt quędã potẽtia ad formã ſubſtãtialẽ; ita quod potentia nõ eſt quid mediũ inter materiã, & formam; ſed materia eſt ipſa potentia, quę poteſt recipere formã. Sed dices fortè, quod potẽtia eſt relatio fundata in materia; ergo nõ eſt de eſſentia materię, vel nõ eſt ipſa materia. Secũdo ſic, ſi materia eſt potentia, tunc eſſet potẽtia ad aliquam formã: ſed materia nõ eſt potẽtia ad aliquam formã: quia materia poteſt eſſe ſine potẽtia ad illã formã, ergo &c. Tertio ſic, potẽtia, & actus ſũt oppoſita, ergo nõ verificãtur de eodem: ſed materia eſt actus, ſicut dictũ eſt: ergo nõ eſt potẽtia. Quartò ſic, ſi materia eſſet potẽtia, hęc eſſet per ſe primo modo, materia eſt potẽtia, quod eſt falsũ, ergo &c.

Queſtio an potẽtia ſit de eſſentia materię.

Soluitur queſtio.

Ad primũ iſtorũ dicendũ eſt, quod potẽtia nõ eſt relatio fundata in materia, ſed eſt ipſamet materia, & nõ fundatur in ea, tamẽ hoc nomẽ potẽtia eſt nomen relatiuũ natũ verificari de materia: & natũ ſupponere pro ea, nec ad hoc requiritur, quod materia habeat aliquid in ſe; ſed ſufficit quod poſſit habere aliquid, quod nõ habet, ſicut homo eſt in potẽtia ad albedinẽ: nõ quia habeat aliquid actu de albedine: ſed quia poteſt habere albedinẽ quã nõ habet. Quod autẽ potẽtia nõ ſit talis res exiſtens in materia, ſicut multi imaginãtur, patet: quia ſi eſſet talis res, aut eſſet ſubſtãtia, aut accidẽs, nõ ſubſtãtia manifeſtũ eſt: quia tũc aliqua ſubſtãtia præcederet in materia formã ſubſtãtialẽ, nec eſt accidẽs; quia accidens requirit ſubſtantiã & quia nulla talis qualitas poteſt poni, nec eſt aliquod aliud accidẽs ſecundũ principia Ariſt. ſicut alibi oſtẽdetur. Similiter ſi eẽt accidẽs, cũ nõ maneat in aduentu formę: verè corrũperetur, quod nõ videtur verũ, quia forma ad talẽ potentiã non videtur repugnãtia; ergo per aduentum formę nõ corrũpitur. Preterea ſecundũ ponentes tales reſpectus, reſpectu non entis non eſt relatio realis: ſed forma ad quã materia eſt in potentia nõ eſt ens, quando materia eſt in potentia ad eã: ergo reſpectu illius non eſt relatio realis, ergo non eſt res exiſtẽs in materia. Tertio ſic, ſi potẽtia materiæ eſſet aliqua res exiſtẽs in materia, nõ plus eſset reſpectu vnius formę, quã reſpectu alterius: ergo reſpectu cuiuſlibet formæ, qua priuatur materia, & qua poteſt habere, eſset talis res: ſed tales formę ſunt infinitę: ergo in materia ſũt actu res infinitę, quod eſt impoſſibilẽ. Si dicas, quod in materia nõ ſũt infinitę, ſiuè diſtinctę potẽtię, niſi reſpectu formarũ ſpecie diſtinctarũ. Hoc nõ videtur: quia adueniẽte vna forma, adhuc materia eſt in potentia ad aliã formam, & hoc reſpectu alterius formæ eiuſdẽ rationis: ergo in materia eſt potẽtia reſpectu illius formę: ſed in materia nõ eſt potentia reſpectu formę, quam habet actu; ergo prius erãt diſtinctę potentię reſpectu illarũ formarũ, quãdo caruit vtraque, ſi potẽtia ſit alia res à materia. Quarto ſic, qua ratione potentia materię, qua poteſt eſse ſub forma, eſset alia res à materia: eadem ratione potentia, qua poteſt eſſe corpus in loco, eſſet alia res à corpore, cum corpus poſſit eſse in loco; conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: falſitas conſequentis patet: quia ſi potẽtia, qua corpus poteſt eſse in loco eſset alia res à corpore, cũ corpus; quando eſt in loco, nõ habeat illam potentiam, ſi ſit talis res, & poteſt habere eã: eſset tũc potentia reſpectu potentię in eodem: quia tunc corpus eſset in potentia ad illã potentiam, quod eſt abſurdum. Dicendum eſt ergo, quod potentia non eſt aliqua res exiſtens in materia; ſed eſt ipſamet materia, & ipſa ſcilicet materia reſpectu formę ſubſtantialis eſt potentia, & magis propria locutio eſt dicere, quod materia eſt potẽtiã reſpectu formę ſubſtantialis, quam quod materia

Quod potentia non ſit res diſtincta à materia.

Propria ſententia.

eſt

eſt in potentia reſpectu formę ſubſtantialis: licet auctores vtantur vna pro alia. Ad ſedundum dicendum eſt, quod licet materia ſit in potentia ad formam, non tamen ſemper eſt in potentia ad illam formam: ſed ſolum eſt in potentia ad illam formam, quando non habet eam, & poteſt habere eam, nec plus importatur per hanc propoſitionem: materia eſt in potentia ad vnam formam. Et ideo quando dicitur materia poteſt eſſe ſine potentia ad illam formam. dico quod iſta propoſitio poteſt habere duplicem intellectum, quorum vnus eſt iſte, poſſibile eſt quod materia ſit, & quod non ſit in potentia ad iſtam formam, & iſte intellectus eſt verus: ſed ex hoc non ſequitur, quod non ſit potentia ad formam iſtam: ſed quod poteſt non eſſe potentia ad formam iſtam: quod vtique eſt verum, vnde ſicut non obſtante, quod Sortes poteſt non eſſe albus, tamen in rei veritate eſt albus; ita non obſtante quod materia poſſit non eſſe potentia ad iſtam formam: tamen in rei veritate omnino eſt in potentia ad iſtam formam. Alius intellectus poteſt eſſe prędictæ propoſitionis, ſcilicet, quod materia poteſt eſſe ſine illa re, quæ nunc eſt potentia ad illam formam; & hic ſenſus eſt falſus: ſicut nec homo poteſt eſſe ſine illa re, quę nunc eſt alba, & tamen contingenter homo eſt albus. Ad tertium dico, quod potentia, & actus ſumpta ſic generaliter, non ſunt oppoſita: quia potentia ad formam, & actus exiſtens in rerum natura, nõ ſunt oppoſita: tamen eſſe in potentia ad formam, & eſſe actu ſub illa forma ſunt verè cõtraria: ſed illa non cõpetũt ſimul materię. Ad vltimum dico quod iſta cõſequentia nõ valet, materia eſt potentia ad hanc formã; ergo hæc eſt per ſe primo modo, materia eſt potentia: non plus, quam ſequitur homo eſt albus, ergo hæc eſt per ſe primo modo, homo eſt albus. Sed forte dices: non eſt ſimile: quia licet quando concretum prædicatur de alio concreto, vel abſtracto talis conſequentia non valeat, tamen quando prædicatur abſtractum de abſtracto, conſequentia eſt bona, & ſic eſt in propoſito; quia potentia eſt quoddam abſtractum. Dicendum eſt quod talis conſequentia nõ valet generaliter, nec in abſtractis, nec in cõcretis, tamẽ quãdo ſubiectũ, & prędicatum ſunt verè abſtracta, & abſtracta nullo modo importantia aliqua diuerſimodè, ſi ſit prędicatio directa, poteſt cõcedi conſequentia: ſed potentia non eſt tale abſtractum: quia potentia ſignificat materiam in recto, & formam non exiſtentẽ in obliquo. Ad duo ſequentia argumenta, & ad omnia ſimilia patet modò per prædicta: quia materia eſt in potentia ad omnem actum natum informare aliud, & nullum talem actum habet materia de ſe, licet ſit verè ens in actu,

Cap. Decimumſeptimum.

NON ſolum autem materia prima eſt illa, quæ eſt in potentia ad omnes formas omnium ſpecierum formarũ generabiliũ, & corruptibilium: ſed etiam eſt quædam res actu exiſtens, & eſt ingenerabilis, & incorruptibilis; ita quod per nullam potentiam poteſt generari, nec corrumpi, quod quidem non tantum verum eſt capiendo generari, & corrumpi ſtrictè pro illo, quod generatur ex parte ſua, & corrumpitur in partem remanentem, & iſto modo generari, & corrumpi conueniunt compoſito, & iſto modo forma eſt ingenerabilis, & incorruptibilis: ſed etiam capiendo generari pro eſſe de nouo, & corrumpi pro non eſſe in rerum natura; ita quod materia prima, nec poteſt incipere eſſe, nec deſinere eſſe: ſed ſemper eſt actu, ſic enim forma eſt actu, poſtquam compoſitum eſt generatum; licet modo non ſit ſeparata à forma, ſicut nec forma ſeparatur à materia. Quod autem non ſit generabilis, probat Ariſt. quia omne quod fit, aut fit ex aliquo tanquã ex parte ſua, aut fit in aliquo tanquam in ſubiecto ſibi præſuppoſito. In primo Phiſic. T. com. 82.

Sed

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Materiam primam in generabilé eſſe probatur.

Sed materia prima non fit ex aliquo tanquam ex parte ſua, túc enim materia prima eſſet compoſita, & per conſequens nõ eſſet prima. Vocatur enim prima materia illa, qua nulla eſt ſimplicior, ſed materia prima non eſt compoſita; quia tunc ante materiam primam eſſet materia prima, ergo materia prima non fit ex aliquo tanquam ex parte ſua, nec fit in aliquo tanquam in ſubiecto ſibi præſuppoſito, quia materia prima in nullo ſubiecto eſt, ergo nullo modo fit materia prima, nec de nouo capit eſſe, ſed ſemper eſt. Sed forte dices materia prima non habet eſſe, niſi à forma; ſed forma de nouo eſt, ergo de nouo dat eſſe materię, & per cõſequẽs materia de nouo habet eſſe, ergo generatur. Dicendum quod eſſe capitur dupliciter, vno modo pro aliquo informante aliud, alio modo pro quocunq; exiſtente in rerum natura, capiẽdo eſſe primo modo, ſic verum eſt, quod forma dat eſſe materię, quod nihil aliud eſt, quam formam informare materiam, capiendo eſſe ſecundo modo non eſt verum; imò materia eſt quoddam eſſe, idest quoddam ens vere exiſtẽs in rerum natura anteq̃ ſit forma ſit, nec illud eſſe variatur; quantumcunq; varientur formæ, vel eſſe formalia variantur, de quo eſſe loquitur Com. quando dicit, quod materia prima variatur ſecundum eſse, quod non eſt aliud dicere, quam quod materia habet ſucceſſiue diuerſas formas. Et ſi dicas, quod ſi materia habet eſse diſtinctũ a forma, tunc forma adueniret enti in actu, ſed quod aduenit enti in actu, eſt accidens, ergo forma ſubſtantialis eſt accidens. Dicendum, quod ens in actu capitur dupliciter, vno modo large, & cõmuniter pro omni ente exiſtẽte in rerum natura, & ſic non eſt verum, quod omne, quod aduenit enti in actu, ſit accidens, & ſic materia prima eſt ens in actu. Alio modo capitur ens in actu magis ſtricte pro illo, quod eſt per ſe exiſtens, non inexiſtens alteri tanquam pars, natum ſic conſeruari in eſse, & ſic verum eſt, quod omne adueniens enti in actu eſt accidens, ſed ſic materia prima non eſt ens in actu, quia nunquam exiſtit, niſi ſit pars in altero, ſcilicet in compoſito, & non poteſt eſse, niſi pars, & propter hoc forma ſibi adueniens non eſt accidens:

Primo Phi. Com. Tex com. 63.

Cap. Decimum octauum.

Materia prima eſt vna in habentibus eam pat rationem.

ISTA autem materia prima eſt eiuſdẽ rationis in omnibus compoſitis, ſed non eſt vna numero in omnibus compoſitis, imò in omnibus generatis ſimul exiſtentibus ſunt diuerſę materię primæ numero diſtinctę, vel differentes, quomodo diuerſæ albedines differunt. Quod autem materię primę omnium generabilium, & corruptibilium ſint eiuſdem rationis, probatur, quia fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora; ſed omnis generatio naturalis poteſt ſaluari per primam materiam eiuſdẽ rationis, ſine pluritate diuerſarum materiarum diuerſę rationis, ergo cum materia non ponatur, niſi propter generationem naturalẽ, fruſtra ponentur materię diuerſarum rationum, aſſumptum patet, ſcilicet, quod ſufficit vna materia, &c. nam illorum, quæ tranſmutatur ſubſtantialiter mediate, vel immediatè, inter ſe, eadem eſt materia, quia eadem materia, quæ eſt in corrupto, debet eſſe poſtea in generato, ſed quodlibet generabile, vel corruptibile poteſt trãſmutari in quodcunq; aliud generabile, & corruptibile mediatè, vel immediatè, ergo omniũ generabilium, & corruptibiliũ debet eſse materia eiuſdem rationis, conſequẽtia patet, quia ſi diuerſorum generabilium, & corruptibiliũ eſset materia alterius rationis, hoc eſset verũ de generabilibus, & corruptibilibus, quorum vnum non poteſt tranſmutari in alterum immediate, ſed tantum mediatè, ſed tamen de illis non eſt verum, nam ſi immediatè in trãſmutabilibus eſſet materia eiuſdem rationis, & in tranſmutabilibus mediatè nõ, tunc trãſmutetur a. in b. mediantẽ c. tunc in a. & c. quæ ſunt inuicem tranſmu-

tranſmutabilis immediatè, eſt materia eiuſdem rationis, ſimiliter in c. & b. eſt materia eiuſdem rationis, quę ſunt inuicem tranſmutabilia immediatè, ergo in a. & b. eſt materia eiuſdem rationis, & ſic poteſt argui de quibuſcunquè tranſmutabilibus mediatè ad inuicem, quia nihil refert, quod ſint plura media, vel vnum, ſic ergo patet, quod in omnibus generabilibus, & corruptibilibus eſt materia eiuſdem rationis.

Materia nō eſt vna nūo in omnibus generabilibus.

Tamen non eſt vna numero in omnibus, quod probatur primo ſic, idem numero non eſt ſubiectum ſimul repugnantium, ſicut nec idem eſt ſubiectum ſimul contrariorum, ſed quędam formæ repugnāt inter ſe, ſicut forma ignis, & aeris, ergo eadem materia numero non eſt ſimul ſubiectum ſub iſtis formis. Præ. idem numero exiſtens in loco circunſcriptiuè nō eſt ſimul in diuerſis locis diſtantibus; ſed materia eſt circūſcriptiuè in loco, ex quo eſt quanta, ergo non eſt ſimul in diuerſis locis. Sed ſi omnium generabilium, & corruptibilium eſſet vna materia numero, idem numero eſſet in diuerſis locis. Prę. materia eſt extenſa, ergo habet partem diſtantem à parte. Sed certum eſt, quod materia poteſt diuidi ſaltim ad diuiſionē totius, ergo diuiſo toto in duas partes, vna pars materię erit in vna parte, & alia in alia ergo ibi ſunt diſtinctę materię, & per conſequens nō eſt eadem numero in quibuſcunq; diſtinctis ſimul exiſtētibus. Sed forte dices, omnis vnitas, & diſtinctio eſt à forma, ergo circumſcripta omni forma, materia nec eſt vna, nec plures, & per conſequens non eſt diſtincta numero ex ſe, ſed tatum ex forma. Confirmatur ratio, quia ſecundum Com. in fundamento naturę nihil eſt diſtinctum, ergo materia prima nullam habet diſtinctionem ex ſe. Ad primum iſtorum eſt dicēdum, quod omnis vnitas, & diſtinctio per ſe exiſtentis in genere vltimatè, & completiuè eſt à forma, quia nullum per ſe exiſtens in genere eſt vnum in illo genere, niſi habeat formam, ſicut eſt homo, vel aſinus, vel planta, vel aer, vel lapis antequā habeat formam, tamen vnitas, & diſtinctio non exiſtentium per ſe in generè, cuiuſmodi eſt materia, non eſt à forma, immo prçcedit formam, ſicut enim materia tota præſupponitur toti formæ receptæ in ea, ita pars materię prçſupponitur parti formę, & diſtinctæ partes materiæ præſupponūtur diuerſis partibus formæ, ſiue diſtinctis, & per conſequens illa diſtinctio partium materię nō eſt à diſtinctione partium formæ, ſed prçſupponitur ſibi, iſta tamen diſtinctio non eſt diſtinctarū rerum per ſe exiſtentium in genere. Per idē dicendum eſt ad Com. quod in fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum, verum, & per ſe, & completiuè exiſtens in genere, tamen eſt ibi diſtinctio entis incompleti, non per ſe, ſed per reductionem exiſtentis in genere, quare, &c.

Primo metaph. com. 17.

Cap. Decimum nonum.

Quomodo materia ſe habeat ad quantitatē.

VIDENDVM eſt quomodo materia ſe habeat ad extenſionem: ex qua apparebit, quomodo ſe habeat ad quantitatem, & ad dimēſiones interminatas, quas ponit Com. Sciendum eſt autem, quod licet hæc ſit per accidens, materia eſt extenſa; diſtinguendo per accidens contra per ſe primo modo, hæc tamen eſt neceſſaria, & ſemper vera, & per ſe in ſecundo modo: quia impoſſibile eſt, quod ſit materia ſine extenſione: non enim eſt poſſibile, quod materia ſit, niſi habeat partem diſtantem à parte: vndè licet partes materię poſſint vniri ad modum, quo partes aquę, & aeris poſſunt vniri; tamen nunquā partes materiæ poſſunt eſſe in eodem loco, & ideo ſemper materia habet partem diſtinctam à parte; & hoc eſt materiam eſſe extenſam, & quantam, vel dimenſionatam, quia dimenſio, quantitas, vel extenſio, non eſt, niſi diſtantia vnius partis ab alia, propter quod dico, ſicut hæc eſt vera, & non per ſe primo modo, materia habet

In de ſubſtantia orb. c.

habet

habet partem diſtantē à parte: ita nec hęc eſt per ſe primo modo, materia eſt extenſa; vna tamen eſt neceſſaria, ſicut alia, & ſicut materia non habet partem diſtantem a parte ab alio ſibi adueniente, ſine quo non poſſet habere partem diſtantem à parte: ita nec eſt extenſa per talem rem; ſed ſicut diſtantia vnius partis materię ab alia non eſt aliqua res abſoluta ab illis partibus, ita nec extenſio, nec quantitas, ſeu dimenſiones ſunt aliæ res, & iſtę ſunt dimenſiones interminatę, de quibus loquitur Com. quæ iſto modo intelligēdę ſunt, non quod dimenſiones interminatæ ſint quędam res non habentes terminū aduenientes materię; ſed quod materia non eſt ex ſe, nec neceſſariò alicuius certę quātitatis, puta materia hæc extenſa non eſt neceſſario pedalis quantitatis, nec bipedalis quantitatis; ſed ſecundum dimenſionem, vel diuerſitatē formę eſt maioris quantitatis, vel mi. ſicut magis extenditur eadē materia numero, quādo eſt ſub forma ignis, & minus extenditur, quando eſt ſub forma aquę, vel aeris: adhuc minus quando eſt ſub forma terrę; & ideo ſicut materia non eſt ex ſe ſub iſta forma, nec ſub illa; ſed quandoq; ſub iſta & quandoque ſub illa, ita materia, quantum eſt ex ſe, non eſt alicuius certæ quantitatis, & per conſequens ex ſe non eſt terminata termino certo, ideſt, non eſt ex ſe, & neceſſariò bicubita, nec tricubita & ſic de alijs, & hæc eſt intentio Com. de dimenſionibus materię indeterminatis. Quod autem materia ſit ex ſe quanta, & dimenſionata, licèt non ſit certę quantitatis, nec determinatarū dimenſionum, quin poſſit eſſe maiorum, vel minorum dimenſionum oſtendo ſic: quia aut materia eſt quanta, & extenſa per partes ſuas eſſentiales diſtantes ſitualiter, aut per aliam rem ſibi aduenientem; quemadmodum homo eſt albus per albedinem ſibi aduenientem. Si detur primum, habetur propoſitum, ſecundum non poteſt dari, quia ſicut tota materia pręſupponitur totali formę ſubſtantiali, & accidentali, ita partes materię pręſupponuntur partibus formę ſubſtantialis, & accidentalis, & non tantum pręſupponuntur in eſſe ſubſtantiali; ſed pręſupponūtur diſtare ſitualiter: ergo prius habet partem extra partem, qua forma rei ſubſtantialis, vel accidentalis, & per conſequens prius eſt quanta: et ita extenſio materiæ, & quantitas non eſt alia res abſoluta à materia: Pręterea materia habet de ſe aliā partem in loco, et aliā in alia parte loci, ergo de ſe eſt quanta, licet hęc non ſit per ſe primo modo, materia eſt quāta. Sed fortè dices, quantitas eſt accidens; ergo non eſt quātitas materię. Dicendum eſt quod non eſt accidens, niſi quia de ſe contingenter probabile, & hoc, vel ipſamet, vel ſpecies eius quomodo coloratū prędicatur de ligno, tamen quodlibet contentū ſub eo contingenter prędicatur de eodē. Sed adhuc fortè dices; quod ex quo dictū eſt; quod materia eſt certę quātitatis per formā, ergo non eſt de ſe quanta. Similiter materia terminatur per formā, ergo nō eſt de ſe quanta. Dicendum quod licet non habeat de ſe, quod ſit certę quantitatis, vel determinatę, tamen habet eſſe, quod ſit certę quantitatis talis, vel talis. Sed quæritur, ſi materia eſſet ſeparata ab omni forma, an eſſet tunc certę quantitatis.

Dico quod quæſtio eſt impoſſibilis, ideo non eſt inconueniēs concedere inconuenientia, quę ſequerētur, tamē dicēdum eſt, quod ſi materia eſſet ſeparata ab omni forma ſubſtantiali, vel accidentali, eſſet certę quantitatis, quę ſibi competeret per naturam ſuam, vel per actionem agētis eam. Adhuc quęreres, quare materia eſt maioris quantitatis, quando eſt ſub vna forma: & quando eſt ſub alia forma, eſt minoris quantitatis? Dicendum quod quando agēs naturale inducit formam ſubſtantialem in materia, prius diſponit materiam condenſando, vel rarefaciendo eam, quę cū fuerit ſufficienter rarefacta, vel condenſata ſecundum diuerſitatem formæ introducendę, introducitur forma ſubſtantialis; qua forma introducta, ad-

huc

huc agens in tempore perceptibili rarefacit, vel condenſat materiam ſimiliter cū forma, vſque ad terminū conuenientē tali formę, & ita materia nō fit maioris quantitatis, vel minoris per ſucceſſionē alicuius accidentis in ea abſoluti; ſed per ſolā condenſationē, vel rarefactionē, quę nō eſt niſi partes materię magis, vel minus ſibi inuicē appropinquari, quod poteſt fieri per ſolū motū locale partiū materiæ, ſcilicet per dilatationē, & contractionē partiū materię, hoc tamen non poteſt fieri, niſi cauſa agēte concurrēte faciēte partes dilatari, vel contrahi. Et hoc de quātitate, & extēſione, ſiue dimenſionibus materię ſufficit, quia quomodo quantitas ſecundū Ariſt. nō eſt alia res abſoluta a ſubſtantia, & qualitate alibi diffuſius oſtendetur.

Cap. Vigeſimum

De cognoſcibilitate materiæ.

ETIAM oſtendendum eſt quomodo materia prima nō eſt intelligibilis, ſiue cognoſcibilis per ſe, id eſt nō eſt intelligibilis cognitione ſimplici, & propria ſibi; ſed tamē habitis cōceptibus ſimplicibus, & cōmunibus, & particularibus aliarū rerū intellectus pōt cōponere eas ad inuicē, & per ratione declarare, quod tale cōpoſitū ex aliquibus cōceptibus ſignificat aliquid à parte rei, & pōt vere ſtare pro re, ſicut habito iſto cōceptu aliquid priuatur aliquo, & poſtea pōt ſtare ſub illo, pōt intellectus cōcipere, vel cōcludere, quod eſt aliquid in rerū natura, quod primo priuatur forma, & poſtea nō caret ea, & illud vocatur materia, ita quod per talē viā, vel modū nō acquiritur aliqua cognitio incomplexa, & ſimplex de materia; ſed tantū vna cōpoſita, quę declarat materiā, & nullā aliā re, cuius tamē notitię cōplexę, quęlibet pars exprimit aliquid aliud a materia, ſicut quęlibet pars iſtius, trinarius eſt numerus impar, vbi quilibet terminus exprimit aliquid aliud a nūo trinario, & tamē illud totū declarat ſolū numerū trinariū. Oportet autē ſcire, quod hoc nō ſolū verū eſt de materia, ſed etiam de forma, quia forma ſubſtātialis a nobis per aliā viā cognoſci nō pōt; imo ſicut materia cognoſcitur per analogiā ad formam, ita forma ſubſtātialis cognoſcitur per analogiam ad materiā; nec poteſt cognoſci eſſe formę, capiendo formā non pro qualibet re exiſtēte, quę nō eſt materia, ſed pro re nata informare aliā; niſi cognoſcatur aliquo modo materia: ſicut nec aliquis poteſt cognoſcere eſſe patris, niſi cognoſcatur eſſe filij aliquo modo: tamē aliquę conceptiones facilius, & à pluribus habentur de forma, quam de materia, & propter hoc dicit Ariſt. materiam magis cognoſci per analogiam ad formam, quam e conuerſo.

Primo phiſ. Tex. com. 69.

Cap. Vigeſimum primum.

De eſſe formæ altero principio rerū naturaliū.

IAM videndū eſt de forma, circa quam ſciendū eſt, quod licet forma multipliciter capiatur, ſicut & materia, ſecundum quod inferius dicetur; tamen ad pręſens forma capitur dupliciter, vno modo pro omni ente diſtincto à materia, & compoſito, & ſic forma dicitur de forma, quæ eſt altera pars compoſiti, & de accidente, & de intelligentia ſeparata. Alio modo capitur pręciſe forma pro altera parte ſubſtantiæ diſtincta contra materiam, & ſic loquendum eſt de forma in propoſito. Eſt autem talis forma quædam res, quę per ſe non poteſt eſſe, ſed ſemper eſt in compoſito adueniens materię ſuppoſitæ, ſine qua eſſe non poteſt, quæ aliquando eſt in materia ſubſtentante eam, & aliquando non ſolū non eſt in materia, ſed ſimpliciter deſinit eſſe ad modum quo albedo deſinit eſſe in corpore: iſta autem forma eſt ſimpliciter ingenerabilis, & incorruptibilis, capiendo generari, & corrumpi, ſcilicet prout cōueniunt compoſito ſolum, ſcilicet pro illo, quod generatur ex aliquo, tanquam ex parte, & corrumpitur in aliqua, tanquam in parte: tamen non eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, capiendo generabile, & corruptibile magis large, pro omni illo, quod poteſt eſſe de nouo, & poteſt deſinere eſſe. Quod autem

forma nō ſit ſic ingenerabilis,& incorruptibilis,patet ex hoc:quia ſi eſſet ingenerabilis,& incorruptibilis, tūc ſicut,quando compoſitū generatur,p̄ſupponitur materia, ita p̄ſupponeretur forma, & per conſequens totū compoſitū non generaretur,nec generatio diſtingueretur à congregatione,ſed ſicut,quando domus ſit,cōgregantur partes domus,& debito modo ſituando partes ordinantur, hoc eſt domū ſieri, ita quando compoſitū generaretur, materia, & forma præexiſtentes congregarentur ſolum, & hoc eſſet compoſitum generari,& ita generatio non diſtingueretur à congregatione, quod eſt inconueniens. Similiter corruptio naturalis eſſet, tantum ſegregatio,& ſeparatio vnius partis ab alia. Cū igitur generatio naturalis diſtinguatur à congregatione, & corruptio naturalis à ſegregatione, oportet dicere, quod aliqua pars generati eſt de nouo,quando compoſitum generatur, & deſinit eſſe,quando compoſitū corrumpitur,ſed hoc non poteſt eſſe verū de materia,quia illa eſt ingenerabilis,& incorruptibilis ſubſtantia, ſicut probatū eſt ſupra, ergo oportet quod hoc ſit verum de forma,quod ipſa eſt primo, quando compoſitū generatur,& deſinit eſſe,quādo compoſitū corrūpitur.Iſta autem forma nō eſt eiuſdem rationis in omnibus generatis, quomodo materia prima eſt eiuſdē rationis in diuerſis generatis, imo in omnibus. Si enim forma eſſet eiuſdē rationis in omnibus,& materia prima eſſet eiuſdē rationis in omnibus: ſequeretur quod omnia generata eſsent eiuſdē rationis,quod non eſt verum. Eſt autem iſta forma extenſa habens partem diſtantem à parte, ſicut materia habet partem diſtantem à parte, quod eodem modo poteſt probari quomodo probatum eſt ſupra de materia.

Cap. Vigeſimum ſecundum.

Generari dicitur multis modis.

NVNC videndum eſt quomodo iſta ſunt principia generationis, & generari, & quomodo ſimiliter principiant vnum ſine alio. Eſt autem ſciendū, quod ſicut tactū eſt ſuperius, generari, & corrumpi tripliciter capiuntur. Vno modo ſtrictè,& ſic generari acceptum poteſt ſic deſcribi,illud generatur, quod nūc primo eſt, poſtquā non fuit,cuius pars præceſſit aliā partē eiuſdē,quę prius non fuit. Illud corrumpitur, quod nō eſt poſtquā aliqua eius pars manet priuata altera parte, quæ tūc non eſt. Aliter capitur generari,& corrūpi magis largè, pro omni illo, quod de nouo eſt, quod prius non fuit, ſiue aliqua eius pars fuerit,ſiue nulla. Et corrūpi dicitur illud, quod non eſt, poſtquā fuit ſiue aliqua eius pars maneat,ſiue nulla. Aliter capitur generari,& corrumpi largiſſimè, pro illo,de cuius nomine ſupponente pro ipſo verificatur eſſe exiſtere, de quo prius non verificabatur,ſiue nulla pars ſecundū ſe totam ſit,ſiue aliqua, & corrumpi pro omni illo,de cuius nomine verificatur nō eſſe poſtquā eſſe verificabatur de illo, ſiue quælibet eius pars ſecundū ſe totam maneat,ſiue non. Vnde generari,& corrumpi primo modo nō conueniūt,niſi compoſitis,quorū vna pars prius erat, & alia non, vel vna pars manet,& alia non. Sed generari, & corrumpi ſecūdo modo accepta non conueniūt tantū compoſitis; ſed etiā formis,tam ſubſtantialibus;quā accidentalibus;quia iſtę de nouo ſunt ſecundū ſe totas,& ſecundum ſe totas deſinūt eſſe,& ſic generari,& corrumpi accepta conueniunt cōpoſitis;quia illa vere ſunt,& deſinunt eſſe. Generari autem, & corrumpi tertio modo accepta non ſolū conueniunt compoſitis,& formis, ſed etiā conueniunt artificialibus,& quibuſcumq; de quorum nominibus ſupponentibus pro rebus verè prædicatur eſſe de nouo, vel ceſsat prædicari quantumcunq; nulla pars taliū de nouo incipiat eſse,nec deſinat eſse ſecundū ſe totam. Dicitur enim domus fieri, vel generari, non quod aliqua eius pars ſecundum ſe totam ſit noua, ſed ſolum quia partes per motum localem cōgregantur debiteque ſituantur, ita quod nulla res de nouo adueniat, ſed vna iuxta aliam debitè, vel ſupra aliam collocatur. Similiter per

ſolam

ſolam ſegregationem partium dicitur domus corrumpi. Sciendum eſt etiam, quod generari non ſolum inuenitur ſimiliter, & corrumpi in compoſitis ex materia, & forma ſubſtantiali; ſed etiam in aggregatione ex ſubiecto, & accidente inherete, ſicut quando homo fit albus, ibi eſt vnum aggregatū ex homine, & albedine, quod nec eſt homo, nec albedo, quod quidem compoſitum prius non erat ſecundum ſe totum, & aliqua pars eius, puta albedo, ſecundum nullam partem eius prius erat, licet aliqua pars prius fuerit, ſcilicet homo: primam generationem vocat Ariſt. ſimpliciter dictam, ſecundam vero generationē vocat generationē ſecundū quid.

Tex. Com. 62.

Cap. Vigeſimum tertium.

VIDENDVM Eſt quomodo materia, & forma ſubſtantialis ſunt principia generationis ſimpliciter, & generati ſimpliciter. Et eſt ſciendum, quod materiam, & formam eſſe principia generationis, & generati non eſt aliud, quam materiam, & formam ſimul in eodem loco, & ſitu exiſtere, ita quod materiā preſupponatur formę in ea receptę, quę forma ſicut de nouo recipitur, ita ſecundum ſe totam, & quālibet eius partem fit de nouo: vnde ſi per impoſſibile forma adueniens non informaret materiam preexiſtentem, illud compoſitum nō generaretur, capiēdo generari primo modo, ſed tātum generaretur, capiendo generari tertio modo, quæ generatio non eſſet aliud, quā congregatio partium per motū locale. Si autē queras cauſā, quomodo materia pōt in ſe recipere formā, & facere vnū per ſe cū illa: Dicendū eſt, quod huiuſmodi nō eſt alia cauſa; niſi quia hic eſt actus, & illa potētia, ideſt, quod materia eſt quędā potētia nata recipere illā formā, & forma eſt quidā actus natus recipi in illa materia. Et ſi dicitur, quare materia eſt potētia, & forma actus. Dicendum eſt, quod hoc eſt quia natura rei eſt talis, nec poteſt alia cauſa aſſignari, niſi quia materia eſt materia, & forma forma, quæ tamen non eſt propria cauſa, & ideo non habet propriè cauſam. Et ſi dicatur, quod ex quo non poteſt aſſignari cauſa huius, hoc non eſt ponēdum; quia nihil eſt ponendū ſine neceſſitate, & cauſa. Dicendū eſt, quod multa ſunt ponenda, quæ non habent cauſas, & hoc propter experientias, vel rationes vnde per experiētiam, & rationem ſumptam à poſteriori multa ponimus, quorum tamen cauſas neſcimus, vel quia nō habent cauſam, vel quia habent, ſed eas ignoramus, ſicut eſt in propoſito, quia propter rationes, & experientias debemus ponere materiam, & formam cōcurrere ad conſtitutionem cōpoſiti, ita quod de potentia materię educitur forma tanquam eius actus quare, &c.

Quomodo materia, & forma ſint principia generationis.

Cap. Vigeſimum quartum.

CONSEQVENTER Quia bonū eſt, & fuit opinio Alberti. Dubitabit aliquis, an aliquid ipſius formę pręcedat in materia, quod potentia actiua vocatur ſecundum aliquos, vel inchoatio formę ſecūdum alios. Videtur enim multis modernis, quod neceſſario in materia pręcedunt inchoationes formarum, quę poſtea fiūt formę perfectę, ad quod mouētur ratione, & auctoritate. Ratione tali, quia ſi nihil ipſius formę pręcederet in materia, cum ipſa materia nō ſit aliquid ipſius formę, forma antequam fieret in materia eſſet penitus nihil, & per conſequens forma crearetur de nihilo. Item ſi nihil formę pręcederet in materia, cum forma fiat in materia ab agēte, forma eſſet totaliter ab extrinſeco, & ita agentia eſſent datores formarum, quia totaliter forma eſſet ab extrinſeco. Item ſi nihil formę pręcederet in materia, forma non eſſet in potētia naturali materię, & per conſequens ex eis non fieret verè vnum. Hoc etiam confirmant auctoritate Com. dicentis, quod agens non largitur multitudinem; ſed perfectionem. Sed iſta opinio eſt cōtra mentem Ariſt. quia ſi in materia pręcederet aliquid formę, ſiue potentia actiua, ſiue inchoatio formę, quęrendum eſt

Queſtio de inchoata forma.

7 Metha. Comment.

Improbantur inchoationes formarum.

de illo, aut eſt materia, aut aliud à materia. Si eſt materia, ergo ſicut materia nō eſt aliquid ipſius formæ tanquam pars, ſed tanquam ſubiectum, ita nec illud præcedēs eſt aliquid ipſius formę, niſi ſit ſubiectum. Si autem eſt aliud à materia, & nō eſt accidens, ergo eſt forma ſubſtantialis, ergo forma ſubſtantialis præcedit formā ſubſtantialem in eodem ſimul. Item, aut tota præcedit in materia, aut pars eius, ſi tota, ergo nulla eſt ibi generatio, quia tota eſſentia compoſiti, puta tàm materia, quàm forma pręcedit, ſi non tota, ergo aliqua pars non præcedit. De iſta parte arguo, iſta pars eſt de nouo, ita quod nihil eius præceſſit, ergo iſta pars creatur, ſi ratio eorum ſit bona. Similiter non eſt maior ratio, quod vna pars præcedat in materia quàm alia, ex quo ſunt eiuſdem rationis, ergo vel nulla pars formę pręcedit in materia, vel quęlibet pars formę pręcedit in materia; ſed non quęlibet, ergo nulla. Prętereà, ſi aliqua pars formę pręcederet in materia, & poſtea alia adueniret, forma ſubſtātialis verè ſuſciperet magis, & minus, ſic. Albedo ſuſcipit magis, & minus, quia corpori habenti albedinē, poſtea aduenit alius gradus albedinis faciens vnum cum præexiſtente; ſed forma ſubſtantialis non ſuſcipit, nec magis, nec minus, ergo nulla pars eius præcedit. Si dicatur quod non pręcedit pars formę in materia, ſed ipſa tota forma pręcedit ſecundum eſſe imperfectum, & potentiale, & per agens inducitur ad eſſe actuale, & perfectum. Contra, hoc non ſufficit, quia illud, quod eſt tantum in aliquo ſecundum eſſe potentiale, non eſt ibi realiter, eſſe enim potentialiter in aliquo non eſt, niſi poſſe eſſe præcisè in re, ſicut Sortes ſecundum eſſe potentiale eſt in foro, quia poteſt eſſe in foro. Si ergo forma ſecundum eſſe potentiale pręcedit in materia ſecundum rei veritatem nō eſt in materia ante generationem; ſed poteſt eſſe in materia, & hoc eſt intentum principale. Dico ergo, quod forma propter eſſe potentiale in materia non plus eſt in materia, quā Sortes qui eſt Romę, eſt Pariſiis, quia poteſt eſſe Pariſiis, & quam albedo eſt in nigro, & frigus in calido, ita quod ſicut ille, qui eſt Romę in rei veritate non eſt Pariſiis, licet poſſit eſſe, ita in materia, quæ eſt actu ſub forma aeris, non eſt forma ignis, licet in ea poſſit eſſe forma ignis. Reſpondere autem rationibus non eſt difficile, vnde cōceditur, quod forma antequam ſit, eſt nihil, diſtinguendo nihil contra ens verum, non tamen eſt nihil, vocādo illud, quod per agens non poteſt eſſe, & cum dicitur quod forma tunc crearetur, dico quod licet vno modo capiendo creari poſſet concedi, tamē accipiendo creari ſecundum quod Ariſt. vocat creationem, nō ſequitur. Nam duo requiruntur ad hoc, quod aliquid creetur, ſcilicet, quod primo ſit purum nihil, ita quod nulla eius pars ſit præcedēs. Aliud requiritur, quod ſit ab agente non præſupponente ad actionem ſuam aliquid tanquam ſubiectum, nec tanquā partē eius, ita quod illi, quod debet creari, nihil pręſupponatur, licet autem formę nihil pręſupponatur tanquā pars formę, quemodo materia præſupponitur toti compoſito, tamen aliquid pręſupponitur formę tanquā ſubiectum, & ideo forma non creatur. Ad ſecundum dicēdum, quod formę non ſunt totaliter ab extrinſeco, quia neceſſariò præſupponūt materiam in qua recipiuntur propter hoc idem agentia non sūt datores formarū. Ille enim eſt dator formarum, qui formam pręexiſtētem imprimit alicui, vel producit formam in aliquo, ſine quo poſſet producere eam, quorū vtrunq; eſt impoſſibile agēti naturali, quia nec poteſt formā præexiſtentē imprimere alicui, videlicet materię, nec poteſt eam producere ſine materia. Ad tertium dicendum quod forma non dicitur in potentia naturali eſſe materię, quia aliquid formę præcedit in materia; ſed quia poteſt eſſe in ſ materia, quod hoc competit ipſi materię, ſcilicet poſſe habere formam ex natura rei ſine omni inclinatione ad contrarium. Et ſi dicatur, quod aliter eſt forma

Creatio duo dicit.

ma ſubſtantialis in potentia materię, & aliter accidens in potentia ſubiecti; ſed accidens eſt in potentia ſubiecti, quia poteſt eſſe in ſubiecto, ergo aliter eſt forma ſubſtantialis in materia. Similiter forma ſubſtantialis eſt in potentia naturali materię; ſed ad hoc, quod aliquid ſit in potentia naturali alicuius, nō ſufficit, quod poſſit eſſe in illo, nam, tunc graue eſſet in potentia naturali ad ſurſum moueri, quia poteſt moueri ſurſum, & caliditas eſſet in potentia naturali aquę, quia poteſt eſſe in aqua, quod eſt falſum, nō ergo ſufficit ad hoc, quod aliquid ſit in potentia naturali alicuius, quod poſſit eſſe in illo, ergo plus requiritur, ergo non debet poni niſi quod aliqua inchoatio formę pręcedat. Dicendum eſt ad primum iſtorum, quod ſicut forma ſubſtantialis eſt in potentia materię, ita accidens eſt in potentia ſubiecti, & ideo ſicut forma ſubſtantialis educitur de potentia materię, ita accidens educitur de potentia ſubiecti, ideſt ſicut forma ſubſtātialis fit in materia, quę erat prius quędam potentia reſpectu formę, ita accidēs fit in ſubiecto, quod prius erat potentia reſpectu accidentis illius. Ad ſecundum dicendum, quod tunc aliquid dicitur eſſe in potentia naturali alicuius, quando illud ex natura ſua poteſt ſuſcipere illud, & natura ſua non inclinatur ad oppoſitum illius, vel contrarium, vel non inclinatur contra illud, quamtūcunq; nihil ipſius ſit pręcedens in eo, ita eſt de materia, quia poteſt habere formā, & natura materię in nullo inclinatur contra illam formam, ſic autem non eſt caliditas in potentia naturali aquæ, quia quamtumcunq; aqua poſſit recipere caliditatem: tamen ex natura ſua inclinatur contra caliditatem, in tantum, quod niſi impediatur ab agente extrinſeco, deſerit caliditatem, & acquirit frigiditatem, ſic etiam graue inclinatur contra motum ſurſum, ideo non eſt ſimile de potentia materię reſpectu formę ſubſtantialis, & de aqua reſpectu caliditatis, & grauis reſpectu motus ſurſum. Ad Com. dicendum, quod ipſe intelligit, quod agens non largitur multitudinem alicuius, vel aliquorum præexiſtentium, quaſi imprimetur aliquid pręexiſtens materię; ſed largitur perfectionem aliquid imprimēdo in materia, ad quod materia fuit in potentia, vnde facit eſſe, quod prius non erat, non tamen educit aliquid pręexiſtens ad materiam ipſam, & hęc eſt intentio ſua; quare, &c.

Cap. Vigeſimum quintum.

An ſit ponend. forma totius.

VIDENDVM eſt iam an materia, & forma ſint ſufficienter principia generati, hoc eſt an aliquid aliud requiratur, ſcilicet forma totius, ſicut aliqui ponunt dicentes, quod compoſitum non tantum dicit materiam, & formam: ſed etiam dicit formam, quę dicitur forma totius, ad quod ponendum mouent eos auctoritates Ariſt. ſeptimo methaphyſ. vbi vult, quod pręter partes, eſt aliquid aliud in toto, quod non eſt partes, quia partes manent non manente toto. Diſſolutis enim b. & a. manet b. & manet a. & tamen non manet hæc ſyllaba ba. ergo ba. eſt aliquid præter b. & a. Contra iſtam opinionem, quæ eſt contra mentem Ariſt. arguitur, quia ſecundum eum, totum non eſt aliud à partibus ſimul ſumptis, ideſt iunctis, & vnitis, quia ſi ſit ibi aliqua res, vel forma, vel entitas, pręter partes iſtas, vel iſta entitas eſt ſimplex, vel compoſita, non ſimplex, quia tunc materia, vel forma, & ita eſſēt ibi duę formę ſubſtātiales partiales ſecundū ſe totas diſtinctę, & per cōſequens nō plus eſſet vna illarū formarū forma, quā alia. Similiter ſi ſint ibi duę formę au faciūt per ſe vnum cū materia aut nō, ſi ſic, aut requiritur alia entitas pręter illam tertiam, aut nulla, ſi alia, quęro de illa ſicut prius, & ſic eſt proceſſus in infinitum. ſi nulla, ergo illę tres partes faciūt per ſe vnū ſine quarta entitate, & eadē ratione duę poterunt facere per ſe vnū ſine alia tertia entitate,

Tex. com. 60.

Burlei placitum impugnatur.

Si

Si autem non faciunt per ſe vnum, ergo fruſtra ponitur propter vnitatem compoſiti, ſi autem iſta tertia entitas ſit compoſita, & manifeſtum eſt, quod non eſt cõpoſita, niſi ex materia, & forma, ergo pręter materiam, & formam, nihil eſt, niſi compoſitum quoddam, quod non eſt aliud à partibus ſimul iunctis. Dicendum eſt ergo, quod pręter partes, quæ ſunt materia, & forma, non eſt alia tertia entitas diſtincta ab illis; ſed eſt aliqua cõpoſitio, quę nec eſt vna pars, nec alia, ita quod illud compoſitum, nec eſt materia, nec forma; ſed ſimul, & coniunctim materia, & forma vnitę, & hęc eſt intentio Ariſt. de hac ſyllaba. ba. quod ipſa, nec eſt b. nec a. ex quo tam b. quàm a. poteſt manere ſine ba. Et de cõpoſitis, quę ſũt per ſe vnum, verum eſt ſimpliciter, quod quodlibet eorum eſt ſuę partes, ſimul, & cõiunctim, ita quod illud totum nõ eſt, niſi ſuę partes ſimul exiſtentes. Sed de artificialibus eſt aliud,, quia vna pars poteſt eſſe in rerũ natura diſtincta ab alia, ita quod partes poſsũt ſimul eſſe in rerũ natura, licet nõ ſint vnitę, ideo illud totũ ſẽper, & neceſſario eſt ſuę partes exiſtentes; ſed tunc eſt ſolum illæ partes exiſtentes, quãdo partes ſunt debito modo vnitę, & localiter ſituatę, & cõuenienter, quãdo autẽ ſunt ſeparatę, vel incõuenienter ordinatę, ſecundũ locũ, tũc domus nõ eſt illę partes, & hoc eſt poſſibile, quod illę partes permanentes ſint quandoq; debitę ordinatę, & ſituatę, & quandoq; à ſe diuiſę, & ideo hęc eſt vera quandoq; domus eſt ſuę partes, & quandoq; falſa, tamẽ quandocunq; ſũt illę partes debito modo ordinatę ſecundum locũ, tũc domus eſt ſuę partes. Et ſi dicatur domus deſtruitur, ergo aliqua entitas ibi deperditur. Similiter materia, & forma ſunt cauſę, ſiue partes, & non ſui ipſius, ergo alicuius alterius Illud autem ponitur tertia entitas. Similiter ſi forma eſſet ſimul localiter cũ materia, & non informaret eam, non reſultaret ex eis compoſitum, ergo ad compoſitum non ſufficit materia, & forma ſimul localiter, ergo aliquid aliud requiritur, quod vocatur forma totius. Dicendum eſt eſt ad primum iſtorum, quod domum deſtrui non eſt aliquam rem ſecundũ ſe totam deſinere eſſe, ſed tantum partes ſeparari localiter, ſecundum quam ſeparationem localem hęc eſt falſa, hęc domus eſt, quę prius erat vera, & ita deſtrui, quod prędicatur de domo, accipitur ſicut corrumpi tertio modo, & non ſicut corrumpi primo modo. Ad ſecundum dicẽdum quod materia, & forma nõ ſunt alicuius cauſę, niſi quia ſũt partes, & ideo ſicut nõ ſũt partes ſuiipſius, ita nõ ſũt cauſę ſuiipſius; ſed ſũt partes, & eſſe totius copoſiti, quod nõ eſt, niſi materia, & forma, q ã ſo ſunt vnitæ ſimul, nec quantum ad hoc eſt difficultas maior de materia, & forma reſpectu compoſiti, quam de pluribus hominibus reſpectu vnius populi, eo quod ſi vnus de populo pereat, non dicimus propter hoc, quod totus populus pereat; ſed aliqua pars populi, tamẽ nihil eſt pars ſui ipſius, ita materia, & forma ſunt partes compoſiti, quod eſt illę partes, ſicut plures homines ſunt populus, & ita idem eſt dicere materiam, & formam eſſe partes compoſiti, quarum vna format aliam, & ipſas eſſe cauſas eiuſdem compoſiti; Ad tertium dicendum, quod ſecundum principia Ariſtot. impoſſibile eſt, quod hęc materia, & hęc forma, quę ſunt vnum compoſitum, vel quę ſunt partes compoſiti, ſint exiſtentes in rerũ natura, niſi ſint ſimul localiter, ſi tamen per impoſſibile eſſent ſeparatę localiter, non eſſent vnum compoſitum; immo nullum compoſitum, tunc eſſet materia, & forma. Dicendum eſt etiam, quod ſecundum Ariſt. vel eius intentionem contradictionẽ includit mamateriam, & formam eſſe ſimul localiter & materiam non informari forma. Eodem modo dicendum eſt ſecũdum eum, quod impoſſibile eſt accidens eſſe ſimul localiter cum ſubiecto, & non informare ſubiectum, propter quod ſi idem accidens numero eſſet ſimul cum duobus ſubiectis diuerſis, ſimul informaret vtrunq;

&

& eſſent duo compoſita, quorum vnum componeretur ex vno ſubiecto, & illo accidente, & aliud ex alio ſubiecto, & eodem accidente. Eodem modo proportionabiliter dicendum eſt de materia, ſi eadem forma eſſet ſimiliter cum duabus diuerſis materiis, ſic ergo patet quod cōpoſitum non eſt niſi omnes partes ſuę, ſed non ſemper, ſed tunc ſolum, quando ſunt debito modo ordinatæ, & vnitæ, quia ad diuerſa compoſita requiritur diuerſa vnio partiū, quandoquè enim requiritur quod partes ſint ſimul localiter, quandoquè quod ſint indiſtantes, ita quod nihil ſit medium, quandoque poteſt eſſe aliquod medium, ſed requiritur certus ordo ſicut plures homines faciunt vnum populum.

Cap. Vigeſimum ſextum.

An formæ artificialiū diſtinguātur à rebus naturalibus.

QVIA in præcedenti capi. domum deſtrui per ſolum motum localem partium adinuicē dictum eſt, & multis videtur contrarium, qui dicunt, quod forma artificialiū eſt forma accidentalis diſtincta à materia, & ſibi per artem adueniens, quemadmodum calor naturalis aduenit igni, à quo tamen diſtinguitur realiter; Ideo ad maiorem notitiam artificialium, & generationis eorum, hic nunc breuiter eſt dicendum, an forma rei artificialis ſit ſecūdum ſe totaliter diſtincta à qualibet re naturali. Ad quod dicendum eſt, quod ſecundum viam Ariſtotelis, quando artificialia fiunt, nulla res de nouo ſecundum ſe totā generatur, vel non eſt neceſſariū, quod generetur ſemper res de nouo exiſtens ſecundum quamlibet partem eius: licet quandoque artifice agente mediantibus cauſis naturalibus nouę formę accidentales, & quandoq; ſubſtantiales de nouo producantur, ſicut patet in agricultura, & aliis artificialibus. Quod autem nō ſemper producantur nouę res ſecundū ſe diſtinctę: ſecundum omnes partes ſuas in generatione artificialium perſuadebo ſic. Si ſit ibi aliqua forma noua; ſecūdum qualibet partem eius, aut eſt tota iſta forma in toto artificiato, & qualibet parte eius, aut eſt tota iſta in toto, & pars in parte, aut eſt tantū in parte artificiati. Primū nō poteſt dari, quia nullū accidēs; ſaltim aliud ab accidēte animę rationalis eſt indiuiſibile exiſtēs totū in toto, & totum in qualibet parte, nec poteſt dari ſecūdū, quia ſi domus cōſtruatur ex lignis, & ex lapidibus, nulla res de nouo aduenit ligno, vel lapidi, quia ſi ſic, quęro de illa re cauſata in ligno, vel lapido, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, non ſubſtātia manifeſtum eſt, nec accidens, quia nec eſt quātitas ſecundum ponētes quantitatem eſſe aliam rem à ſubſtantia, nec eſt qualitas, ſicut patet inductiuè, nec poteſt dici quod ſit aliquis reſpectus, quia talis reſpectus non eſt ponendus in re extra: ſicut alibi oſtendetur, & eſt oſtenſum, ſecundum opi: Ariſtot. Similiter quæratur à quo cauſatur illa res, non ab artifice, quia artifex nihil agit, niſi quia mouet localiter, ſed mouens localiter nō cauſat nouam rem: ſed facit tantum rem eſſe in loco, in quo non erat prius; nec poteſt cauſari ab alio ſicut patet inductiuè, ergo nulla res noua ſecundum ſe totam diſtincta acquiritur ibi, vel cauſatur; Confirmatur, quia per motum localem tantum non eſt neceſſe acquiri niſi nouus locus, ſed ad conſtitutionem multorum artificialium ſufficit ſolum mouere localiter res naturales, ergo non eſt neceſſe, quod ibi aliqua noua res ſecundum ſe totam diſtincta generetur. Contra iſtam opinionem poteſt multipliciter argui; Primo, quia artificialia diſtinguūtur à rebus naturalibus: ſed ſi nulla res noua eſſet: qualibet res eſſet naturalis: Et ita nulla diſtinctio eſſet inter naturalia, & artificialia. Secundo quia artificialia componuntur ex materia, quæ non eſt vna, & forma ſecundū Philoſophum, ſed res naturalis non componitur ex iſtis, ergo non ſunt idem. Tertio hæc non eſt vera ſecundum Ariſt: ſtatua eſt æs, ſed hæc eſt vera, ſtatua eſt ærea, ſi tamen ſtatua non diceret aliam rem ab ære, hæc eſſet vera, ſtatua eſt æs. Ad primum iſtorum eſt dicendum, quod

Impugnatur propria ſententia.

rem

Solutio. nulla res artificialis per ſe vna diſtinguitur a re naturali. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quod rerum artificialium, quædam eſt vna per ſe, ſicut quando fit per ſolam ablationem partium à toto, vt ex lapide fit mercurius, vel ſola transfiguratione, ſicut quando æs fit ſtatua. Quædam autem ſunt artificialia cõpoſita, ſicut domus, & huiuſmodi. De primis dico: quod quælibet res artificialis eſt realiter, & vere naturalis. Secunda autẽ non eſt res naturalis, ſed eſt res naturales, ſicut domus non eſt aliqua res naturalis, ſed eſt multæ res naturales, ſtatua autem eſt res naturalis vere: balneum etiam eſt res naturalis vere: nec intendit hoc Philoſophus negare, ſed per talem propoſitionem res artificialis non eſt res naturalis, intendit dicere, quod talis res non eſt naturalis, talis qualis fit per artẽ; verbi gratia. Si dicatur ſtatua non eſt res naturalis, per iſtam proportionem intelligit iſtam, nulla res naturalis eſt naturaliter ſtatua, quia nulla res fit per naturam ſtatua, ſed tantum fit per artem ſtatua. Similiter aqua non eſt naturaliter balneum, ſed aqua per artem fit balneum, & tamen hoc non obſtante, nulla res eſt balneũ, vel in balneo, niſi res naturalis, in nullo enim differt iſta aqua ab alia aqua, niſi quia hæc habet calorem, vel miſcetur cũ herbis, vel quia eſt in aliquo loco determinato, quę omnia nullam aliam rem dicunt in illa aqua à re naturali: vnde ſi ponatur aqua in aliquo loco, & per naturã poſtea fieret calida, totum eſſet naturale, & eſſet balneum, & tamen in nullo diſtingueretur ab aqua, quæ per artem fit balneum, ſicut quædam dicuntur balnea naturalia, & quædam artificialia, licet fortè aliquo modo diuerſificentur, tamen ſi in nullo diuerſificarentur, niſi quantum ad agens extrinſecum, puta quod vnum fit balneũ à natura, & aliud non fit balneũ niſi ab arte, & voluntate concurrente; vnum diceretur balneũ naturale, & aliud artificiale, id eſt, vna aqua fit balneum naturaliter, & aqua per artem fit balneum, vel per accidens. Et ſic dicendum eſt, quod per iſtam propoſitionem: artificialia diſtinguuntur à naturalibus, debet intelligi iſta; iſta non ſunt talia per artem, qualia per naturã, vel a natura, & iſta ſũt talia artificialiter, qualia non ſunt naturaliter. Et ſi dicatur quod Ariſt. in ſecundo Phiſicor. dicit, quod artificialia non habent in ſe principium motus, & quietis, naturalia autem habent in ſe principium motus, & quietis, ergo &c. Dicendum eſt quod ſecundum Ariſt. artificialia habent in ſe principium motus, ſed non per artem, quia per artem nihil acquiritur de nouo, quod ſit principium motus, naturalia autem habent in ſe principium, & non niſi à natura. Ad ſecundum dicendum quod Ariſtot. capit large compoſitum pro omni eo, quod eſt aliquid præſuppoſitum tranſmutationi, quod per tranſmutationem fit tale, quale prius nõ fuit, ſiue ibi concurrãt diuerſę res realiter diſtinctę, ſiue non, & hoc eſt, quod voluit Ariſtot. dum dixit primo Phiſicor. quod quædam generatur tranſmutatione, quędam vero appoſitione, alia verò ſubtractione, vbi non oportet aliquid addi, ſed tantum ſubtrahi. & ex hoc ipſo quod ſubtrahuntur partes debito modo dicitur eſſe tale quale non fuit prius; non propter rem additã, ſed ſubtractã. Ad tertium dico quod Ariſtot. non intendit ſimpliciter iſtã negare, æs eſt ſtatua, ſed intendit dicere, quod hæc eſt per accidens, æs eſt ſtatua: & quod æs non eſt naturaliter ſtatua: ſed tantum per artem. Et ſi dicas, iſta naturalia traſmutãtur ad formas artificiales, ſed traſmutatio non eſt ſine omni acquiſitione, vel deperditione, quia omnis motus eſt ad aliquem terminum ſubiectiuè, vel ſucceſſiuè inhęrentem trãſmutato. Dico quod non eſt neceſſarium, ſed ſufficit frequenter, vt localiter moueãtur ad locum continentem, & locantem tranſmutatum, ideo non eſt neceſſe, quod quãdo res naturales fiunt res artificiales; quod aliqua res artificialis de nouo acquiratur, ſed ſufficit frequenter, Tex. com. 2.

quod

quod localiter moueantur. Sic ergo dicendum eſt, quod aliqua res artificialis eſt vere res naturalis, & aliqua res artificialis eſt res naturalis, & non eſt res naturalis, ſicut domus, lectulus, & huiuſmodi.

Explicit prima pars Summularũ in Libr. Phyſicorum Venerabilis Inceptoris Fratris Guilielmi de Villa Ocham Anglici Ordinis Minorũ ſacræ Theologiæ Magiſtri, inuictiſſimorumq; nominalium Academiæ Principis.

INCIPIT SECVNDA PARS SVMMVLARVM In Lib. Phiſicorum.

Cap. Primum.

De cauſa materia diſputant.

QVONIAM Generatio naturalis, & ſimiliter generatum non tantum requirunt materiam, & formam tanquam partes, ſed etiam requirunt cauſas eſſentiales, ex quibus dependent, & ſine quibus eſſe non poſſunt, ſaltem quãdo primo ſunt. Et ideo poſt prædicta iam reſtat determinare de cauſis rerum naturalium. Aſſignat autem Ariſt. quattuor genera cauſarũ, ſcilicet materialẽ formalem, efficientem, & finalem, quarum ſufficientia poteſt ſic accipi, omnis cauſa rei, vel eſt intrinſeca, vel extrinſeca, ſi intrinſeca, ſic eſt materia, vel forma, quia plura non ſunt de eſſe rei intrinſeca, ſi extrinſeca, vel eſt illud propter quod agens facit formam in materia, vel tranſmutat eã, & ſic eſt cauſa finalis. Cauſa ergo materialis eſt illa res, quæ tranſmutatur per agens, & ideo ſicut aliquid tranſmutatur dupliciter, ſic cauſa materialis capitur dupliciter.

Sec. Phy. 2. con 28.

Cauſarum ſufficiens numerus.

Quandoq; enim aliquid tranſmutatur ad veram rem ſibi inhærentem, & informantem, ſicut materia tranſmutatur ad formam ſubſtantialem, vt aqua ad calorem. Aliquando aliquid tranſmutatur ad rem, ſcilicet continentẽ ſolum abſq; hoc, quod aliqua res ſibi de nouo adueniat, ſicut eſt de motu locali, ſic cauſa materialis poteſt dupliciter capi, vno modo propriè, & tunc aliqua res alia re informatur, & ſic materia inuenitur in generatione ſubſtantię, tã reſpectu formæ ſubſtantialis, quam reſpectu formę accidentalis. Alio modo accipitur magis large, & impropriè, pro tranſmutabili tranſmutatione, qua fit tale, quale non fuit ante, vel incipit eſſe in loco, in quo antea nõ fuit, & ad hoc ſufficit mutatio localis totius, vel aliquarum partium, & ſic dicit Philoſophus, quod æs eſt materia ſtatuę, & argentum phyalæ non intelligens aliud niſi, quod æs per ſuam mutationem localem fit ſtatua, & argentum per ſuam tranſmutationẽ localẽ licet non quælibet tranſmutatio localis ageneeti, vel partis argẽti ad hoc ſufficiat, ſed determinata. Sed dices, nulla eſt materia ſuiipſius, ſed ſecũdum prædicta æs eſt ſtatua, & argentum eſt phyala, ergo nec æs eſt materia ſtatuæ, nec argentum materia phyalę. Dicendũ quod huiuſmodi propoſitiones ſecundũ proprietatem ſermonis non ſunt abſolutè concedendę, ſed ſunt ſub ſenſu quẽ doctores intendunt, exponendę, vt ſit ſenſus, argentũ eſt materia phyalę, id eſt argentum per ſuam tranſmutationem determinatã fit phyala, & ideo in tali modo arguendi argentũ eſt materia phyalæ, argẽtũ eſt phyala, ergo phiala eſt materia phyalę, eſt fallacia ãphibologię. Si enim maior ſumatur proprie, & de virtute ſermonis eſt falſa, & argumẽtum eſt bonũ, ſed ſic non intelligunt eam doctores. Si autem ſumitur impropriè, & ſub certo intellectu auctorum, tunc eſt vera, & argumentum non valet, ſicut nec argumentum, in quo pro maiore ponitur

ſenſus maioris. Oportet autem ſcire, quod præter dictos duos modos capiendi materiam. quibus vt plurimum vtitur Philoſophus hoc nomine, materia, ſunt alii modi accipiendi hoc nomen materia quibus alię ſcientiæ aliquando vtuntur: vnde logicus quandoq; accipit materiã, non pro tranſmutabili, ſed pro obiecto, vel ſubiecto ſciẽtię, quod tamẽ ſubiectũ, vel obiectũ non oportet eſſe trãſmutabile, & ſic multi dicunt, quod tale, vel tale eſt ſubiectum talis, vel talis ſcientię. Similiter morales dicũt paſſionem, & operationem eſſe materiam virtutis, & hoc, quia virtus habet moderare, & extinguere tales paſſiones, vel operationes. Sed de iſtis modis, & conſimilibus, ſi qui alii fuerint, non pertinet ad Philoſophũ naturalem, niſi quãdo forte vtitur terminis aliarum ſcientiarum. Sciendum eſt etiam quod quandoq; iſti termini differunt in ſignificando, ſcilicet materia, & cauſa materialis, quia aliquid dicitur materia alicuius, cuius tamen non eſt pars, nec ipſum, ſicut materia dicitur materia formæ ſubſtantialis, & ſubiectum poteſt dici materia accidentis, & tamen materia non eſt pars formæ, nec eſt ipſa forma, nec ſubiectum eſt pars accidentis, nec ipſum accidens, ſed ſecundum modum loquendi Philoſophorum, nihil dicitur cauſa materialis alicuius, niſi ſit pars illius, quomodo materia eſt pars ſubſtantię compoſitæ, & ideo dicitur cauſa materialis compoſiti, & non dicitur cauſa materialis formæ, niſi ſit ipſum, & tunc impropriè dicitur cauſa materialis ipſius, ſicut dicitur quod æs eſt cauſa materialis ſtatuæ, impropriè loquendo, & per quamdam ſimilitudinem ad cauſam materialem propriè dictam, ſicut enim materia trãſmutatur ad formam poſt quam tranſmutationem verè contingit dicere tale compoſitum eſt, quod prius non fuit, ita poſt tranſmutationem determinatam æris, vel alterius rei: idem contingit dicere, quod ſtatua eſt, & prius non fuit verum; ideo tranſumptiuè dicitur, quod æs eſt cauſa materialis ſtatuæ, Conſimiliter dicendum eſt de conſimilibus artificialibus.

Differunt mat. & cauſa materialis.

Cap. Secundum.

CAVSA autem formalis, ſcilicet forma, ſicut, & hoc nomen materia, dupliciter capitur, vno modo proprie, & ſtricte pro re diſtincta informante materiam, cum qua facit vnum per ſe, ſicut in generatione ſubſtantię, in qua compoſitum componitur ex materia, & forma, ſiue per accidens, ſicut in compoſito ex ſubiecto, & accidente, quando enim homo fit albus, ex homine, & albedine fit vnum per accidens, quod non eſt, nec homo, nec albedo, ſed eſt ſimul homo, & albedo, cui non habemus nomen diſtinctum impoſitum, licet aliqui quandoq; vocent ipſum compoſitum hoc totum aggregatum, ſcilicet homo albus, ſed improprie. Aliter capitur hoc nomen cauſa formalis, & hoc nomen forma, magis impropriè pro aliquo, quod poſt tranſmutationem eſt tale; quale ante non fuerat, & ſic dicit Ariſt. quod figura eſt forma ſtatuę, quia ſicut forma inhęrens materię non eſt niſi poſt tranſmutationem materię, ſic non eſt verum dicere, quod talis figura eſt, niſi poſt tranſmutationem æris, vel alicuius alterius, quo fit ſtatua, & ita dicitur ſimilitudinariè, quod figura eſt cauſa formalis ſtatuæ, vel quod eſt forma æris: cum tamen non ſit aliqua res alia ab ære, vel aliqua alia re, quæ fit ſtatua. Et ita iſtis duobus modis capiendo hoc nomen, forma, & hoc nomen cauſa formalis vtitur Philoſophus naturalis, quamuis nonnunquam ab aliis aliter accipiantur, de quibus non eſt modo dicendum, ſed patere poteſt aliqualiter per dicta in cap. pręcedenti, quia materia dicitur reſpectu formę, & forma reſpectu materię. Sicut autem differunt iſti termini materia, & cauſa materialis

De cauſa formali.

rialis, ita differunt iſti termini, forma, & cauſa formalis. Nam forma ſubſtantialis dicitur forma materię, ſed non dicitur cauſa formalis materię; ſed eſt cauſa formalis totius compoſiti ex materia, & forma, & non eſt ipſum compoſitum, ſed pars eius. Similiter ſimilitudinarie dicitur, quod figura eſt forma æris, & cauſa formalis ſtatuę, & hoc, quia illa res ante tranſmutationem eſt ęs, ſed non eſt ſtatua, ante transmutationem, quare, &c.

Cap. Tertium.

De efficiē te ſermo.

POST capitula de cauſis intrinſecis dicendum eſt de cauſis extrinſecis, & primo de cauſa efficiente, quā Philoſ. vocat principium vnde motus, quia cauſa efficiens eſt mouens propter quod omne mouens poteſt vocari efficiens. Eſt autem aduertendum, quod cauſa efficiens tripliciter accipitur, ſtrictè, largè, & largiſſimè. Strictè dicitur cauſa efficiens, quando cauſat rem nouiter exiſtentem, ita quod nihil illius rei præceſſit, ſicut ignis generat ignem, & Sol calefacit, ibi enim forma ſubſtantialis, & accidentalis nouiter eſt. Largè dicitur cauſa efficiens illa, quæ facit aliquid eſſe aliquale, quale prius non fuit, ſiue rem nouam faciendo, ſiue partem præexiſtentem coniungendo, ſiue partes auferendo, vel aliis modis conſimilibus tranſmutando, & ſic dicitur quod artifex eſt cauſa domus, quia ſolum componit partes domus ad inuicem, & tamen nulla res ſecundum ſe totam noua eſt acquiſita, quamuis ſit verum dicere, hęc domus eſt, & prius non erat verum dicere. Largiſſimè dicitur cauſa efficiens pro omni mouente, ſiue illud mouens faciat vnum ex multis, ſiue tranſmutando partes, ſiue auferendo, faciat alterius figurę, quam prius, ſiue etiam ſolum tranſmutat illud localiter; Et ſic dicimus, quod Intelligentia eſt cauſa efficiens motus Cęli, ideſt, mouet Cęlum, & tamen nullam rem nouam cauſat in Cęlo, ſicut poſtea oſtendetur; nec propter aliud dicitur efficiens, niſi, quia mouens. De duobus autem vltimis modis accipiendi cauſam efficientem nolo loqui in hoc capitulo, ſed tantum de primo. Sic autem accipiendo cauſam efficientem ſciendum eſt, quod cauſa efficiens eſt illa, ad cuius exiſtentiam realem habet aliquid aliud eſſe de nouo totaliter diſtinctum ab illa cauſa. Si enim iſta deſcriptio deſtituatur, perit omnis via perſuadendi, & cognoſcendi aliquid eſſe cauſam efficientem alterius; propter hoc enim videmus, quod igne approximato ligno ſequitur calor in ligno, & quia niſi ignis eſſet approximatus ligno, non eſſet calor in ligno, dicimus quod ignis eſt cauſa caloris. Similiter eſt de aliis, propter quod patet quod non eſt aliqua cauſa, ſine qua non propriè loquendo, quamuis requiratur aliquando amotio alicuius impedientis cauſationem, ſicut eſt, quando eſt feneſtra clauſa, quæ impedit illuminationem Solis. Eſt autem ſciendum, quod cauſa efficiens, quæ facit nouum effectum: tripliciter accipitur, vno modo pro cauſa ſufficienti, quę vocatur à quibuſdam cauſa totalis, & vocatur cauſa totalis illa, quę circumſcripto omni alio, quod non eſt ſubiectum formę, facit effectum, ſicut ignis, quando nihil concurrit ad calefactionem, pręter lignum, ignis eſt cauſa totalis efficiens, vel magis proprie ſufficiens, vel præciſa. Alia eſt cauſa inſufficiens, quæ ſine alia non facit effectum, ſicut in medicina patet, vbi patet pro multis effectibus producendis, diuerſæ res diuerſarum ſpecierum coniunguntur, & commiſcentur, & ſic corpus Cæleſte eſt cauſa inſufficiens, reſpectu generabilium diuerſorum. Similiter

T. com 18. 2. Phy. Cauſæ efficientis multiplex diuiſio.

cauſa inferior eſt inſufficiens, quia ſine corpore cęleſti nó habet effectum ſuú, ſicut ad generationem aſini non ſufficit aſinus, ſine corpore cęleſti, nec corpus cęleſte ſine aſino: propter hoc dicit Phi. quod homo generat hominem, & ſol, ſecundo Phi. quia nullum per ſe eſt ſufficiens, & quando cauſæ inſufficientes cócurrunt ad eundem effectum, habent ordinem adinuicem, quia quandoque vna dependet ab alia, ſicut planta dependet à Sole, quádoq; autem nó dependet vna ab alia, ſicut quando diuerſę herbę cócurrunt ad eundem effectum in corpore humano. Oportet autem ſcire quod cauſarum efficientium, quędam eſt vniuerſalis, quędam particularis. Cauſę vniuerſales ſunt illæ, quę cum diuerſis cauſis concurrunt ad effectus illarum cauſarum, ſicut Sol idem concurrit cú planta ad cauſandum plantam, & cum aſino ad cauſandum aſinum, & ſic de aliis Cauſa particularis eſt illa, quæ non póteſt niſi in vnum effectum, vel ſaltem in pauciores effectus, etiá cum aliis, ſicut herba in pauciores effectus poteſt, quá Sol, ideo dicitur particularis reſpectu illius. Ex quo patet, quod Sol per eandem virtuté poteſt in diuerſos effectus. Si enim per aliam, & aliam virtutem producantur diuerſi effectus, nulla illarum eſſet cauſa vniuerſalis, imo quęlibet eſſet cauſa particularis. Sol ergo per eandem virtuté multos effectus producit. Ex quo patet, quod falſa eſt iſta propoſitio, quod ad diuerſitatem effectuú ſequitur diuerſitas cauſarú, nam Sol habet diuerſos effectus, tam in diuerſis paſſis, quám in eodem: ſicut in eodé medio habet cauſare lucem, & calorem: & tamen ſine diuerſitate Solis. Claret etiam ex dictis quod falſa eſt hęc propoſitio, diuerſitas cauſarum arguit diuerſitatem effectuú, nam ſicut declaratum eſt, diuerſę cauſæ concurrunt ad eundem effectú non ſolú ſpecie, ſed etiam numero, ſimiliter patet, quod Sol calefacit ſine igne, & e conuerſo.

T. com. 26

Cap. Quartum.

QVARTVM genus cauſę vocatur cauſa finalis. Circa quam eſt primo ſciédum, quid eſt cauſa finalis. Secúdo quomodo eſt cauſa. Tertio ſecundum quod eſſe eſt cauſa. Circa primum eſt ſciendú, quod Ariſt. ponit finem eſſe cauſam hoc modo. Illud per quod cóuenienter reſpódetur ad quæſtionem factam per quare, eſt cauſa finalis, ſed per finé reſpondetur ad queſtioné factam per quare. Si enim queratur quare ille ambulat, conuenienter reſpódetur, vt ſanetur, vel propter ſanitatem, ergo finis eſt cauſa. Circa ſecundum, ſcilicet quomodo eſt cauſa, eſt primo ſciendum quod finis nunqua eſt cauſa, niſi quando efficiens eſt cauſa, cuius ratio eſt, quia ſi finis ſit cauſa, eſt alicuius effectus cauſa, ſed omnis effectus eſt ab aliquo efficiente, ergo quandocunq; eſt finis cauſa, tunc eſt efficiens cauſa. Secúdo ſciendum, quod finis non tantum eſt cauſa effectus, ſed etiam mouet efficientem, quod quidem mouere non accipitur pro tranſmutatione efficiente, ſed accipitur pro deſiderari, vel amari ab efficiéte: vnde ſi ſanitas eſſet per ſe exiſtés, efficiens diceretur moueri à ſanitate, licet non tranſmutetur a ſanitate, & ideo quádo dicitur, finis mouet efficientem, capitur mouere metaphorice, vel impropriè, ſcilicet pro amari, vel deſiderari, & non accipitur, propriè pro tranſmutari. Ex predictis patet, quomodo cauſa finalis cauſat, quia cauſam finalem cauſare, nó eſt aliud, quam illud eſſe propter quod amatum, & deſideratum efficiens agit actu, vel producit, ita quod ad hoc quod ſit cauſa finalis duo requiruntur, ſcilicet, quod ametur, vel deſideretur, & quod efficiens producat quod amat, vel deſiderat ipſum, ſiue facit ipſum propter aliud, ſiue non: vnde ſicut cauſa efficiens eſt duplex, ſcilicet ſufficiens, & inſufficiens, ſiue totalis, & partialis, ſecundum modú loquendi aliquorum, ita cauſa finalis eſt duplex, ſcilicet ſufficiés, & inſufficiens, ſuffi-

Quid ſit finalis cauſa.

Quomodo finis cauſetur.

ſufficiens eſt illa propter quem amatum, vel deſideratū efficiēs agit, etiam ſi aliud non amaretur, nec deſideraretur, efficiēs ageret: inſufficiens eſt illa propter quam amatum, vel deſideratum, efficiens non agit, niſi alio amato, vel deſiderato. Sicut ſi aliquis accedat ad aliquē locum, vt comedat, vel bibat, ita quod non ſolū propter potū, vel cibū accedat, ſed propter vtrunq; ſimul, & ideo vtrumq; eſt cauſa finalis, ſed inſufficiens Ex quibus apparet, quod eiuſdem rei poſſunt eſſe plures cauſę finales, & non ſolum inſufficiētes, ſed etiam ſufficientes, ſicut ſi aliquis accedat ad aliquem locum, vt ibi inueniat theſaurum, & etiam vt inueniat cibum, etiā ſi nihil aliud ſperet inuenire, ſunt ibi duo fines ſufficientes. Et ſi dicatur vnius rei vnica eſt cauſa finalis. Dicendū eſt quod hoc non eſt vniuerſaliter verum, imo vnius rei poſſunt eſſe plures cauſę finales, ſicut eadem res poteſt eſſe cauſa finalis pluriū effectuū, quādo plures cauſę agūt propter eundem finem amatum. Circa tertium, ſcilicet ſecundū quod eſſe cauſa finalis poteſt cauſare, dico quod intelligēdo propter ſecundum quod eſſe cauſa finalis cauſat, quādo cauſat, cauſa finalis poteſt cauſare ſiue exiſtat, ſiue non. Ad cuius euidentiā eſt notandum quod quādoque finis non eſt effectus efficientis, & quandoq; eſt; quia quandoq; finis mouet, quia eſt amatus, abſq; hoc, quod ſit deſideratus. Et tunc non oportet, quod ſit effectus efficientis, ſed poteſt preſupponi actioni agentis, ſicut quando aliquis agit ex amore alterius, ille verè eſt finis, quia eſt iſte propter quem amatum, effectus producitur, & iſto modo dicitur, quod Deus eſt finis omnium, quia eſt ille, propter quem amatum omnia fiunt: ſimiliter etiam quando aliquis bibit potionē amarā, ipſemet eſt finis quia diligit ſeipſum, ideo concupiſcit ſibi ipſi ſanitatem; ideo bibit potionem amaram, ſimiliter eſt quando aliquis ſanat ſeipſum ex amore ſuipſius, ipſemet eſt finis, quia enim amat ſeipſum ideo acquirit ſibi ſanitatē.

Secundum quod eſſe ſui finis cauſet.

Quandoque finis eſt deſideratus, & tunc poteſt eſſe effectus agētis, ſicut ſi aliquis deſiderat ſanitatem, & propter eam bibit potionem amaram; ſanitas eſt finis potionis amarę, quia propter ſanitatē agens bibit eam, quia deſiderat eam, etiam illa ſanitas eſt effectus illius actionis. quia illa potio efficit ſanitatem. Ad propoſitum dico, quod quia illud, quod eſt, aliquando poteſt amari, & quando amatur poteſt agens aliquem effectum producere, quod nō produceret, niſi amaret illud quando eſt, eſt cauſa finalis. Similiter, quia aliquid poteſt deſiderari, quando non eſt, & agens poteſt aliquem effectum agere, quia deſiderat illud, non enim ageret, niſi deſideraret, ideo ſicut aliquid poteſt deſiderari, quando nō eſt; ita poteſt eſſe cauſa finalis quando nō eſt; quia nihil aliud eſt eſſe cauſam finalem, niſi eſſe amatum, vel deſideratum, propter quod agens agit, & hoc eſt, quod communiter dicitur: quod quāuis finis non ſit in re extra, eſt tamē in intentione agētis. Sed contra, illud quod non eſt, non poteſt eſse cauſa alicuius: ergo quando finis non eſt, non poteſt eſſe cauſa alicuius. Similiter finis eſt nobilior his, quæ ſunt ad finem, ſed quando finis non eſt: non eſt nobilior his quę sūt ad finem, ergo tunc non eſt cauſa. Item quandoq; finis eſt effectus, vt dictum eſt ergo tūc nullius eſt cauſa, quia nec agētis, cum non habeat, nec habere poſſit, nec effectus, quia nihil eſt cauſa ſuiipſius.

Quod finis non ſit cauſa cum non eſt obicitur.

Ad primum dico, quod illud, quod non eſt, nec ab aliquo amatur, nec deſideratur, nullius eſt cauſa; ſed ſicut illud, quod non eſt, poteſt deſiderari, ita poteſt eſse cauſa. Ad ſecundū dico: quod non ſemper finis eſt nobilior his, quæ ſunt ad finem, quod maximè verū eſt de fine deſiderato, quia non ſemper finis deſideratus eſt nobilior his, qui sūt ad finem. Ad tertiū dico, quod quandoq; finis deſideratus non eſt, quando agens agit & tūc eſt cauſa finalis actionis, ſicut aliquis quandoq; bibit ſciroppū antequam ſanetur, & tūc ſanitas eſt cauſa finalis iſtius potationis,

Diluuntur rationes.

tionis, & nõ agentis, nec ſuiipſius, & túc ſunt plures effectus ordinati aliquorum, & poſteriores ſunt cauſa finalis priorum. Quandoque autem agens agit immediate deſideratum, quia non ſunt plures effectus ordinati, ſed tantum vnus in ea actione productus, & tunc illud deſideratum non eſt cauſa finalis, & ideo tunc aliquid eſt cauſa finalis alicuius, quando deſideratur ab agente faciente aliud non ipſum. Et ſi dicatur quid eſt cauſa finalis talis actionis. Dicendum eſt, quod talis cauſa finalis eſt aliquid amatum, ex cuius amore aliquid producitur, quod amatum eſt, vel ipſum agens, vel aliud, vnde frequenter in actionibus humanis cauſa finalis eſt illemet homo agens operationes ſuas.

Cap. Quintum.

EX prędictis colligi poteſt diggrediendo, quod multi aſsignantes fines ſcientiarum, & cauſas finales earum, niſi melius intelligantur non conuenienter procedũt. Dicunt enim, quod alius eſt finis agentis, vel ſcientis, & ſcientiæ; vnde finis ſcientię eſt operatio ſecũdum illam ſcientiam, finis autem ſcientis eſt illud, quod intenditur a ſciente, ſed hoc poteſt bene, & male intelligi. Ad cuius euidentiam eſt notandum, quod quandoque ſecundum rectam rationem debet aliquid intendi ab agente, quod tamen ab eo non intenditur, nec deſideratur, quandoq; autem euenit, quod illud, quod non debet deſiderari, propter aliud deſideratur, ita quod illud, quod non debet eſſe finis, aliquando fit finis, & e conuerſo, illud quod debet eſſe finis, non fit finis. Si autẽ finem vocent ſcientiæ illud, quod ſecundum rectam rationem debet deſiderari à ſciente, verũ dicunt, quia alius eſt finis ſcientiæ, & aliud ſcientis, quia quando non intendit illud, quod debet ſecundum rationem illam, ſic poſſunt ſaluari dicta communia, hoc non obſtante dico, quod proprie loquendo de cauſa finali illud propter quod addiſcens acquirit ſcientiam, verè eſt cauſa finalis ſcientię, quod poteſt perſuaderi ſic. Quia illud per quod cõuenienter poteſt reſpõderi ad queſtionẽ factã per quare de eſſe, vel fieri alicuius, eſt cauſa illius, ſed per talẽ finẽ deſideratũ à ſciente, reſpõdetur ad queſtionẽ factã per quare, vt ſi ſic queratur ab aliquo, quare eſt iſta ſciẽtia, vel producitur, quãdoq; cõuenit verè reſpõdere, vt iſte doceatur, vel ditetur, ergo tũc ipſa doctio, vel ditatio eſt cauſa finalis. Item illud, ſine quo multę res nõ eſſent, eſt cauſa efficiens, ſi proprie moueat, ſic & cauſa finalis ſi moueat metaphoricę, ſed aliquãdo quis addiſcit, vt ditetur, ergo diuitię sũt cauſa finalis illius ſciẽtię. Quod autẽ quod nõ intẽdit ab addiſcente, nõ ſit propriè cauſa finalis, probo ſic, quia nihil habet rationẽ cauſę finalis, niſi quod mouet agens ad agendũ, ſed nõ intentũ, vel non amatũ, nec deſideratum non mouet agens ad agendum, ergo nõ eſt propriè cauſa finalis. Dico tamen quod quamuis non deberet eſſe finis, niſi quod amatur, vel deſideratur ſecundũ rectã rationem, tamen quandoq; finis eſt de facto illud, quod amatur, vel deſideratur cõtra rationẽ. Sed fortè queres, quãdo aliquis adiſcit ſcientiã ſpeculatiuã, vt ditetur, vel vt honoretur, nunquid honor, vel diuitiæ ſint per ſe cauſæ finales illius ſcientiæ. Dicendum eſt, quod ſunt per ſe cauſæ illius ſcientiæ, quia non propter aliud adiſcit. Nam ſicut eſt de cauſa efficiente, ita eſt de cauſa finali, ſed ſic eſt de cauſa efficiente, quod tunc dicitur cauſa efficiens per ſe alicuius effectus, quando ille effectus non poteſt produci pro tũc, niſi ab illa cauſa, licet pro alio tempore poſſet produci ſine illa cauſa, & hoc ab alia cauſa; ſicut calor poteſt produci in ligno ab igne, & à Sole: ita ſimiliter eſt de cauſa finali, quia illud dicetur cauſa finalis, per ſe alicuius effectus, ſine quo talis effectus pro tunc produci non poſſet, quia ad cauſam per ſe ſufficit, quod effectus ſine

illo

illo non poſſit eſſe, quod eſt ve um tam de agente naturali, quam de cauſa finali.

Cap. Sextum.

PRÆDICTA de cauſa finali intelligenda ſunt de agente à propoſito, & ſponte, de quibus manifeſtum eſt, quod agunt propter finem, & quod eſt aliqua cauſa finalis ipſorum, de alijs autem, quę non agunt per cognitionem, & voluntatem, magis dubium eſt, an agát propter finem, & vtrum in talibus ſit ponenda cauſa finalis. Nam de iſtis eſt magis dubium, quam de animatis anima ſéſitiua, & quam de animalibus, in quibus eſt appetitus alicuius non habiti, propter quem appetitum multas agunt operationes, quas non faciunt ceſſante appetitu illo, & propter contrarias actiones, quas agunt diuerſis temporibus ſecundum ſucceſsionem contrariorum appetituum in eis. Primo ergo videndum eſt quomodo aliqua agút propter finem, de quibus videndum eſt, quod ſicut animal rationale deſiderans aliquid, & propter hoc operatur, & ideo illud dicitur eſſe finis, & cauſa finalis, ſic animalia bruta deſiderantia illud, quod non habent, multas habent operationes, & illud deſideratum, ſiue appetitum eſt cauſa finalis illarum operationum, & ideo, quando appetitus ſenſitiuus præcedit in bruto, poteſt ibi aſſignari cauſa finalis reſpectu cognitionis humanæ, quando enim in brutis appetitus non præcedit operationem, ſicut quando animal ſentit aliquid, reſpectu cuius non eſt appetitus, tunc dicendum eſt, quod eodem modo eſt ponenda ibi cauſa finalis, ſicut reſpectu actionum, ſine omni cognitione. Similiter dicendum eſt de operationibus humanis, quas non agit homo per deſiderium, vel amorem præcedentem. Propter quod dicendum eſt, quando reſpectu inanimatorum eſt cauſa finalis. De quo mihi videtur eſſe dicendum ſecundum principia Ariſt. quod ſi inanimata à nullo cognoſcente finem regantur, nec moueantur, quod in eis nó eſt cauſa finalis, quia ſunt meré agentia ex neceſsitate naturę nihil prętendentia. Si autem regantur ab agente cognoſcéte, vel producente, in illis eſt ponenda cauſa finalis, quę non eſt proprié intenta, nec deſiderata ab agente inanimato, ſed à dirigente, vel mouente, dicitur tamen improprié cauſa finalis illius actionis, vel operationis, ſicut quando aliquis ſagittat ad aliquem terminum dirigens ſagittam, vel volens interficere aliquem, iſta interfectio non eſt propriè cauſa finalis illius ſagittationis, vel motus ſagittę, vt ſic propriè loquendo non dicatur tale agens agere propter finem talem, ſed hoc propriè dicitur de dirigente, vel mouente tale agens, vnde non propriè dicitur quod ſagitta mouetur, vel agit propter interfectionem, ſed bene dicitur quod ſagittans ſagittat propter infectionem. Similiter ſi aliquis per ignem comburit aliquam domum, vel aliquod aliud, & propter hoc mouet ipſum de loco ad locum: non dicitur propriè, quod ignis facit iſtam combuſtionem, ſed hoc propriè dicitur de mouente: Sed iſta exempla non ſunt propria, quia aliquando exempla ponimus non vt ita ſint, ſed vt ſentiant qui adiſcunt. Attamen adhuc poteſt dici, quod quando ſagitta mouetur à ſagittante, quod ibi duplex eſt motus, ſcilicet ſagittam primo mouens, & ab iſto eſt proprie finis, ſcilicet interfectio alicuius, quam intendit. Aliud mouens eſt aer, qui non intendit iſtum finem, & propter hoc aer non mouet ſagittam propter illum finem. Propter dicta Ariſtotel. oportet ſcire, quod quamuis apud eum poteſt multipliciter dici cauſa finalis, tamen ad præſens dupliciter accipitur, vno modo propriiſſimé, & ſic finis dicitur aliquod intentum, ſiue deſideratum, vel amatum, propter quod agens agit, & ſic naturalia puré inanimata ſi non moueantur, & dirigantur ab aliquo agente non habent cau-

Quomodo inanimata agát propter finem.

cauſam finalem, vel finem. Alio modo dicitur cauſa finalis, vel finis pro illo, quod ſecúdum curſum naturę, niſi impediatur ſequitur aliud, vel operat o alterius. & eodem modo ſequitur, ac ſi eſſet præſcitum, vel deſideratum ab agente, & iſto modo finis reperitur in inanimatis, etiam poſito, quod à nullo cognoſcente regulentur, vel moueantur, & ſic loquitur Philoſophus de cauſa finali ſecundo

Tex.com. 79.

Phiſicorum verſus finem, vbi ponit in natura finem, quia eodem modo fit, ac ſi fieret ab arte.

Cap. Septimum.

POSTQVAM dictum eſt de cauſis quæ ſunt, & qui modo cauſant, núc dicendum eſt de modis cauſarum, & códitionibus. Aſſignantur ab Ariſt. ſecundo

Tex.com. 36.

Phiſicorum ſex modi cauſarum principales, de quibus eſt notandum primo, quod Philoſophus non vocat modus cauſarú aliqua inhęrentia à parte rei ipſis cauſis; Sed vocat modos cauſarum quaſdam códitinnes prędicabiles de nominibus cauſarum, non tamen vere pręducátur de eis niſi quando ſupponunt pro ipſis cauſis. Illi autem modi diuerſi competunt non ſolú diuerſis cauſis diuerſorú generú, ſed etiam diuerſis in eodem genere; vnde quędam ſunt priores, & quędam poſteriores, ſicut cauſa ſanitatis dicitur artifex, & medicus, cauſa propinquior, ſiue prior eſt medicus, & artifex poſterior, ſiue remotior. Intelligendú eſt auté quod iſti duo modi cauſarum, ſiue iſta diuiſio poteſt duobus modis intelligi, vno modo, vt vere vna res ſit cauſa remotior, & alia cauſa propinquior, & ſic inuenitur iſta diniſio verificari de cauſa efficiente, & finali. Sed de cauſa efficiente vno modo tantú, de cauſa auté finali dupliciter, vnde aliqua cauſa efficiens dicitur propinqua, ad cuius eſſe ſequitur aliud, ſicut ignis eſt cauſa caloris in ligno, & Sol eſt cauſa generationis plantę: aliqua autem dicitur cauſa efficiens remota, quia ſcilicet eſt cauſa cauſę tantú, ſicut aliquis eſt pater alterius, quia eſt auus ipſius, ſed pater patris ſui, ſic & ignis dicitur cauſa remota illius, quod fit ab effectu ſuo, & tunc quando eſt cauſa remota nihilominus fit effectus ſine eo, niſi forte per accidens impediatur. Verútamen ſciendú eſt, quod quando illud, quod eſt cauſa cauſę, eſt cauſa propinqua, illud eſt cauſa alicuius effectus, cú quo concurrit ad producendú aliquem effectú, ita quod ipſo ablato effectus non eſſet, & ideo dicitur cauſa non ſolum remota, ſed etiá propinqua. Cauſa autem finalis quędá eſt remota, quędam eſt propinqua. Cauſa autem remota eſt duplex, vna eſt cauſa finalis cauſę propinquæ, ſine qua tamen finis propinquus intenditur. Alia eſt cauſa finalis remota, quę non eſt immediata, ſine qua cauſa, aliqua cauſa nó intenditur, ſicut collectionis herbarum, cauſa finalis propinqua eſt potio amara. Cauſa vero finalis remota eſt ſanitas, quia potio amara non intenditur, niſi propter ſanitatem. Aliter intelligitur iſta diuiſio cauſę in cauſam remotam, & propinquam, ſiue in cauſam priorem, & poſteriorem, non quod ſit alia res cauſa prior, & alia res cauſa poſterior, ſed per pręducationem, hoc nomen cauſa, per prius dicitur de vno, & per poſterius dicitur de alio, non tamen dicitur de illis, niſi pro re, & non pro diuerſa re, ſed pro eadem, & ſic dicit Philoſophus ſecundo phiſicorú, quod multipliciter cauſæ dicuntur, & ipſarú ſimiliú ſpecierú, altera prius, & poſterius, altera dicitur eſſe vt ſanitatis medicus, & artifex, & ipſius quod eſt, vel dyapaſon duplum, & numerus, & propter continentiam ad vnúquodq; non enim quando dicit philoſ. quod ſanitatis cauſa eſt artifex, & medicus, vult quod ibi ſint duæ res, quarum vna ſit cauſa prior, & alia poſterior, quia illa eadem res, quę eſt medicina, eſt ars. Sed vult dicere quod hoc nomen cauſa ſanitatis, prius dicitur de hoc nomine medicus pro re, quam dicatur de hoc nomine

mine artifex, pro eadem re, & ita cauſa ſanitatis dicitur vniuerſaliter de medico & non de artifice, & propter hoc per prius dicitur de medico, & per poſterius de artifice, & tamen idem omnino, qui eſt medicus, eſt artifex, & eadem res, quę eſt medicina, eſt ars.

Cap. Octauum.

PRÆTER prædictos duos modos cauſarũ eſt alia diuiſio cauſæ, quod quædam eſt cauſa per ſe, quædam per accidens, quę etiam dupliciter poteſt intelligi, vt aliqua res extra animam dicatur cauſa per ſe, & aliqua res cauſa per accidens eiuſdem rei, & ſic intellecta iſta diuiſione non habet verum, ſiue locum in aliquo genere cauſæ, niſi in genere cauſæ efficientis, in quo ponitur fortuna, & caſus, de quibus poſterius dicetur. Non enim habet locum in genere cauſę formalis, eo quod nulla forma eſt forma alicuius per accidens, quãuis contingenter ſit forma, ſicut forma qualibet contingenter eſt cauſa. Nec habet locum in genere cauſæ materialis, quia non plus eſt *vna* materia cauſa materialis per accidens vnius compoſiti, quam alia. Nec in genere cauſæ finalis, quia finis dicitur finis reſpectu intenti; ſed nihil intenditur per accidens: quamuis intendatur propter aliud, & ſic vocando per accidens; ideſt pro alio, & non pro ſe, eſſet concedendum, quod aliquid eſt finis per accidens, & aliquid pro ſe, ſcilicet qui per ſe eſt intentus, ſed ſic non loquimur modo de per accidens. Aliter intelligitur iſta diuiſio iſto modo, quia aliqua propoſitio, vbi ponitur cauſa de aliquo, eſt per ſe, & quædam per accidens. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quod per ſe, & per accidens multipliciter capitur primo poſteriorum, quia aliqua ſunt in quibus omnia ſunt neceſſaria, & vbi eſt prædicatio directa, & propria, & illa dicuntur per ſe primo modo, vel ſecundo modo. Alia autem ſunt quæ non ſunt per ſe primo modo, nec ſecundo modo, & tamen vera ſunt, & habent, prædicationem propriam, & directam, & dicuntur per accidens, quia ſunt contingentia, ſed iſto modo non loquimur hic de per ſe, & per accidens, tunc enim iſta non eſt per ſe, ſtatuam faciens eſt cauſa ſtatuæ, cum hęc ſit contingens, & non neceſſaria, cuius oppoſitum dicit Philoſophus ſecundo Phyſic. Aliter accipitur per ſe, & per accidens in propoſito, quod illa propoſitio dicitur per ſe, & non per accidens, in qua prædicatur propria cauſa de aliquo, ſcilicet quando in ſubiecto exprimitur propria cauſa prædicati, ſicut iſta eſt per ſe, ædificator ædificat, vel eſt cauſa domus, quia hoc nomen ædificator exprimit artem, per quam ædificator ædificat. Alia autem propoſitio, cuius ſubiectum non exprimit propropriam cauſam rei, dicitur per accidens ſicut iſta, homo ædificat, vel eſt cauſa domus, quia hoc nomen homo non exprimit artem illam, quę eſt immediata cauſa domus; ſed ſubiectum propriè cauſæ. Similiter illa eſt per accidens, cuius ſubiectum exprimit aliquid, quod totaliter eſt impertinens ad cauſam, ſicut iſta, album ædificat, nam ſubiectum exprimit albedinem, quæ nullo modo eſt cauſa ædificationis, & iſta eſt magis per accidens, quam iſta, homo ædificat, quæ tamen eſt per accidens, quia homo non eſt cauſa prima ædificationis, ſed eſt cauſa, quia eſt ſubiectum cauſæ primę, & hoc eſt quod dicit Phil. ſecundo Phyſic. vniuſcuiuſq; inquit ſummam cauſam oportet quęrere, vt homo ædificet, quia ædificator eſt, ædificator autem ſecundum ędificatoriã artem, & hęc eſt prima cauſa, & ſic de aliis, quamuis autem pręſdicto modo hęc ſit per accidens, homo

Per ſe, & per accidens dicuntur multis modis.

T. com. 6.

F ædi-

ędificat,& hęc ſimiliter, albũ ędificat,& hęc per ſe, ædificator ędificat, tamẽ ſecundũ proprietatem locutionis cõcedo, quod ſi hęc ſit vera, ędificator per ſe ędificat, quod vtraq; iſtarum eſt vera, homo per ſe ędificat, albũ per ſe ędificat, cum idem numero ſit ędificator, & homo albus, & hoc patet, quia caſu iſto poſito, ſequitur quod hęc eſt vera, hoc albũ per ſe ædificat, nam ſequitur, hic ędificator per ſe ædificat, hic ædificator eſt albus, ergo album per ſe ędificat, premiſſę sũt verę ſyllogiſmus eſt expoſitorius, ergo concluſio vera. Nec valet dicere quod hic ſyllogiſmus non ſit expoſitorius propter additionem iſtius dictionis per ſe in maiori, nec hoc impedit, ſicut patet inductiuè, ſequitur enim, iſte currit velociter: iſte eſt albus, ergo albũ currit velociter. Et ſi dicatur album per ſe ædificat, ergo hęc eſt per ſe, album ædificat, cuius oppoſitum eſt dictum. Dico quod conſequentia non valet, ſicut non ſequitur, album poteſt eſſe nigrum, ergo hæc eſt poſſibilis, album eſt nigrum. Similiter non ſequitur, forma exiſtens in hoc loco, eſt neceſſario corpus, ergo hæc eſt per ſe neceſſaria, forma exiſtens in hoc loco, eſt corpus, antecedens eſt verum, & conſequẽs falſum, eo quod hęc eſt cõtingens, Sortes exiſtẽs in hoc loco eſt corpus, nec Philoſ. aliud intẽdit, quãdo dicit albũ ędificare per accidẽs, & non per ſe, niſi quod hæc eſt per accidens, album ædificat, & non per ſe. Iſta autem diuiſio ſic intellecta non ſolũ cõuenit cauſę efficienti; ſed etiam aliis generibus cauſarũ, ſicut enim hęc eſt per accidens, albũ ędificat: eo quod ſubiectũ exprimit aliquid, quod nullo modo eſt cauſa ędificationis, ita hęc eſt per accidẽs intellectus eſt forma ſubſtãtialis hominis, quãuis enim anima ſit per ſe forma hominis, quæ eſt intellectus, tamẽ intellectus exprimit actũ intelligendi, qui non eſt forma hominis ſubſtantialis, ideo iſta eſt per accidens, & ſic dicendum eſt de aliis multis, quare &c.

Cap. Nonum.

CAVSA etiam diuiditur, ſcilicet tam cauſa per ſe, quã etiam per accidẽs. Similiter propinqua, & remota: quia quędam eſt in actu, quędam in potentia, quę diuiſio ſic intelligenda eſt, quod de aliquo prædicatur hoc nomen cauſa: mediante hoc verbo, eſt, ſic dicendo, a. eſt cauſa, & de aliquo mediante hoc verbo, poteſt, ſic dicendo, a. poteſt eſſe cauſa, ſicut de ędificatore, quandoquè poteſt dici quod ędificat, & tunc ędificator eſt cauſa, quãdoq; quod poteſt ędificare, & tũc verificatur, quod ędificator poteſt eſſe cauſa, & ſimiliter de omnibus generibus cauſarũ. Eſt autem differentia inter cauſam in actu, & cauſã in potentia, quia cauſa in actu ſimul eſt, & non eſt cũ ſuo effectu, ſed ſic non eſt de cauſa in potentia, quod non eſt intelligendũ de ipſis rebus, quod ſemper deſtructo aliquo effectu deſtruatur aliqua res, quæ ſit cauſa eius, & quod ſemper deſtructa cauſa in actu deſtruatur aliqua res, quę eſt effectus eius, ſed ſic intelligenda eſt iſta differẽtia, quod quãdo aliquid ceſſat eſſe cauſa alicuius, aliquid ceſſat eſſe effectus eius, ita quod bene ſequitur, hoc non eſt cauſa mòdo illius, ergo hoc non eſt cauſatum ab illo, & è conuerſo, & iſto modo ſequitur calefaciens non eſt, ergo calefactum non eſt, & è conuerſo, & ſimiliter ſequitur, calefactum eſt, ergo calefaciens eſt; capiendo calefactum pro eo, quod nunc fit calidum. Et per hoc tamen quod calefactũ non eſt: nulla res deſtruitur in calefactione, ſicut per hoc, quod aer deſinit eſſe illuminatus à ſole nulla res corrumpitur in Sole. Similiter ex hoc quod oculus deſinit videre colorem; nulla res deſtruitur in colore, ſicut intelligibile per hoc, quod deſinit intelligi ab anima, nihil omnino perdit. Sed illud de quo dicitur cauſa, mediante hoc verbo poteſt: non ſic ſe habet ad illud quod importat effectũ, quia in talibus nõ eſt mutua cõſequentia reſpectu eſſe, & non eſſe, non

enim

enim ſequitur calefactú nó eſt, ergo calefactibile nó eſt, nec è côuerſo, nec ſequitur calefactiuú eſt, ergo calefactibile eſt, niſi gratia materię Et non ſolú competit iſta diuiſio cauſæ per ſe; ſed etiam cauſæ per accidens, quia aliquod album ædificat, & aliquod albú poteſt ędificare, & aliquod dulce diſgregat, & poteſt diſgregare.

Cap. Decimum.

CAVSARVM alia eſt diuiſio, quia quędam eſt vniuerſalis, & quędam particularis, & ſicut cauſę vniuerſales ſunt cauſæ vniuerſalium, ita cauſę ſingulares ſingularium ſunt cauſæ effectuum, quod non eſt intelligendum: quod aliqua ſit cauſa vniuerſalis vniuerſalitate cauſationis, loquendo de cauſis ſubſtantiarum generabilium, & corruptibilium, de quibus nunc eſt ſermo, ſed ſic eſt intelligendum, quod ſicut nomen cômune cauſę dicitur reſpectu nominis communis effectus, ita ſingulare nomen cauſę dicitur reſpectu ſingularis nominis effectus: vnde ſicut dicimus, quod ſtatuam faciens, eſt cauſa ſtatuæ, quia omnis ſtatuam faciens eſt cauſa ſtatuę, quamuis non omnis ſtatuam faciens ſit cauſa huius ſtatuæ, vel illius, dicimus tamen, quod hic ſtatuam faciens eſt cauſa huius ſtatuæ. Quod autem vniuerſale non ſit cauſa vniuerſalis, poteſt oſtendi multipliciter. Primò, quia ſicut aliás viſum eſt vniuerſale non eſt, niſi vox, vel conceptus mentis, vel ſcriptum, de quibus conſtat, quod non ſunt cauſę ſubſtantiarum. Secundò, quia poſito, quod vniuerſalia quędam eſſent eſſentię exiſtentes extra animam, ſicut quidam ponunt, adhuc vniuerſalia non eſſent cauſę vniuerſales, cùm non eſſent cauſę vniuerſalium, quia illud quod eſt ante omnem actionem, non eſt effectus illius actionis, ſed iſta vniuerſalia ſunt ante omnem actionem, quia illa vniuerſalia ſecundum ſic errantes ſunt ęterna, ergo vniuerſalia non ſunt cauſę vniuerſalium: Hoc etiam eſt contra Phil. primo methaphy. qui dicit, quod actiones ſunt ſingularium, ergo cauſæ vniuerſales non cauſant effectus vniuerſales. Dico ergo quod nullú vniuerſale eſt cauſa alicuius generabilis, & corruptibilis extra animá & tamé de vniuerſali veré prędicatur hoc nomé cauſa non pro ſe, ſed pro cauſa, quę eſt extra animá, vnde iſta eſt vera, ignis eſt cauſa ignis, & aer eſt cauſa aeris, & tamé ſubiectú non eſt cauſa alicuius, ſed bené illud pro quo ſupponit. Competit auté diuiſio iſta ſic intellecta omni generi cauſæ, ná in omni genere cauſę inueniuntur nomina ſingularia, & vniuerſalia, de quibus dicitur cauſa, na forma eſt cauſa formalis cópoſiti, & anima intellectiua eſt cauſa formalis hominis, & hęc anima intellectiua eſt cauſa formalis huiuſmodi hominis, & ſimiliter eſt de materia, & de hac materia, de fine, & de hoc fine. Oportet auté ſcire quod cauſa vniuerſalis pręter prędictú modú accipiendi cauſá vniuerſale, ſcilicet pro cauſa vniuerſali in prædicando aliter accipi poteſt, ſcilicet pro cauſa pluriú effectuú: vnde poteſt diſtinctio talis eſſe cauſæ vniuerſalis, quod quædá eſt cauſa vniuerſalis vniuerſalitate prædicationis, & quædá eſt vniuerſalis vniuerſalitate cauſationis, quę vocatur cauſa illimitata ad effectú vnu ſed ad plures ſe extendit. Cauſa auté vniuerſalis ſic dictá nó inuenitur in genere cauſæ materialis, nec formalis, quia nulla materia, vel forma eſt ſimul cauſa diuerſorum totaliter diſtinctorum, ſed ſolum inuenitur in cauſa efficiente, & finali. Et hæc diuiditur, quia duplex poteſt eſſe cauſa diuerſorum effectuum, tam euſdé ſpeciei, quá diuerſarú ſpecierú; vnde cauſa vniuerſalis vniuerſalitate cauſationis poteſt accipi dupliciter, ſcilicet largè, & ſtrictè. Largè dicitur illa, quæ poteſt ſucceſsiué in plures effectus, & ſic ignis cauſans poteſt dici cauſa vniuerſalis, quia poteſt ſucceſsiuè cauſare plura. Aliter accipitur ſtrictè pro eo, quod In prohemio cap. 1.

poteſt ſimul in plures effectus diuerſarũ ſpecierum, ſiue ſufficienter, ſiue inſufficienter, ſicut ſol eadem virtute producit vermem, & plantam, hominem, & aſinũ. Similiter ſimul mouet deſideratum, & intentũ à pluribus diuerſis agentibus cauſantibus effectus ſuos propter eorũ finem.

Cap. Vndecimum.

DICTO de cauſis per ſe, dicendum eſt de cauſis per accidẽs, quę quidem dicuntur per accidens, non quia de nominibus cauſarum prædicetur cauſa per accidens, ſed quia ipſę res ſunt cauſę per accidens, & dicuntur iſtę cauſę à pluribus fortuna, & caſus, quod non ſic debet intelligi quod ſint aliquę cauſę diſtinctè à cauſis per ſe, quæ ſint caſus, & fortuna. Sed ſic debet intelligi, quod ſunt aliquæ cauſæ aliquorum effectuum fortuito, & caſualiter, ſic vt per accidens valeat huic adverbio caſualiter, vel alicui ſuperiori ad ipſum, & ſic idem ſimpliciter poterit eſſe cauſa per ſe, & per accidens, ſed reſpectu diuerſorum, ſicut idem eſt ſimile, & diſſimile, ſed diuerſis reſpectibus. Determinare ergo, & oſtendere quomodo caſus, & fortuna ſunt in rebus, non eſt aliud, quam explicare quomodo aliqua cauſant effectum, ſed fortuito, & caſualiter. Eſt tamen prius oſtendendum quomodo aliqua cauſa eſt fortuita cauſa alicuius effectus, quia hoc facilius poteſt videri, quam quomodo aliqua cauſa purè naturalis caſualiter cauſat effectum. Tunc enim aliqua cauſa eſt fortuita alicuius effectus, quãdo agens à propoſito operatur propter aliquem finem, propter quem aliquis alius effectus conſequitur operationem agentis, vt in paucioribus, ſicut ſi aliquis vadat ad forum intentione emendi neceſſaria, & non cauſa inueniendi debitorem, quia non æſtimat eum inuenire in foro, quod eo rarò inuenitur in foro, ſi inueniat debitorem, dicitur eũ fortuito inueniſſe, ita quod duo requiruntur ad hoc, quod ille fortuitu inueniat debitorem. Primo quod non intendat reperire eum. Si enim illa cauſa iret ad forum non diceretur fortuitu inueniſſe debitorem. Secundo requiritur quod ex profectione ad forum raro ſequatur inuentio debitoris. Si enim eſſet conſuetudinis, vt frequenter debitor reperiretur, quantumcunq; ille non intenderet reperire eum, ſi tamen iret ad forum, non diceretur fortuitu reperIre debitorem. Poteſt autem contingi, quod idem effectus ab vno accidat fortuitu, & ab alio non fortuitu, & poteſt contingere, quod idem effectus ab omni cauſa ſua fortuitu accidat. Exemplum primi, ſi quis vadat ad forum non cauſa inueniendi debitorem, vbi rarò inuenitur, & ipſe debitor vadat ad forum, vt reperiatur à creditore, iſta inuentio fortuitu eſt à creditore, quia non frequenter accidit, nec reperitur ex intentione, non autem accidit fortuitu à debitore, quia ipſe inuẽtionem intẽdebat. Exẽplum ſecũdi, ſi nec debitor, nec creditor intẽdit illã inuẽtionẽ, & raro inuenitur in foro vterq; tũc ab vtroq, eſt fortuitu. Ex quo patet quod fortuna eſt cauſa agẽs à propoſito. Nõ enim dicimus, quod materia eſt fortuitu cauſa cõpoſiti, vel forma fortuitu eſt cauſa cõpoſiti, niſi fortè hoc dicatur, quod efficiẽs fortuitu facit formam in materia, & tũc diceretur, quod materia eſt fortuitu cauſa cõpoſiti, quia fortuitu ſit ab agẽte ſub forma. Quod autẽ fortuna ſit cauſa agens à propoſito, nõ põt probari niſi ex vſu loquentiũ, quia cõmuniter loquẽtes non attribuũt fortunam cauſis propriè naturaliter agẽtibus. Similiter, & cauſa finalis nunquam dicitur fortuitu cauſare: ſicut nec fortuitu intenditur ab agente, ſed per ſe intenditur.

Duo requirit fortuna.

Cap. Decimum ſecundum.

SICVT autẽ cauſa voluntaria, & agẽs à propoſito agit fortuitu, ita cauſa naturalis quandoque caſualiter agit, ſed magis latet quomodo cauſa naturalis ca

ſualiter agat pro eo, quod cauſa naturalis ſemper vniformiter agit, & propter eundē finem; non enim in diuerſis tēporibus propter diuerſos fines agit, quemadmodū cauſa à propoſito diuerſos fines diuerſis tēporibus intendit, imo idē pōt accidere ab eodē in eodē tempore caſualiter, & non caſualiter, quedamododum de eodē agente à fortuna verū eſt dicere de futuro, quod idē effectus poteſt ab illo euenire à fortuna, & etiā ex intētione, ſicut nūc videtur, quod ſit verū dicere, quod aliquis effectus in tempore futuro poteſt fieri ab aliqua cauſa naturali caſualiter, & poteſt fieri ab aliqua cauſa nō caſualiter in eodē tēpore. Eſt autē ſciendū, quod quāuis à cauſis naturalibus naturaliter agētibus poſſit illud fieri à caſu tamē circūſcripta cauſa agente volūta, riè, nihil poſſet accidere à caſu, cuius ratio eſt, quia illud, quod ex neceſſitate ineuitabiliter accidit, nō eſt caſualiter; ſed circūſcripta omni cauſa libera, & agente volūtarie quicquid euenit ab illis cauſis de neceſſitate, & ineuitabiliter eueniet, ergo nihil tale eueniet caſualiter, maior videtur manifeſta, quia nullū neceſſarium ineuitabiliter eueniēs eſt caſuale, minor probatur, quia ſi aliquis effectus à cauſis naturalibus eueniret ſine omni cauſatione cauſę liberę, ſit ille effectus a. tunc quęro, aut a. euenit cōtingenter, & euitabiliter, à ſuis cauſis immediatis, & hoc eſt impoſſibile, quia eo ipſo nō eſſēt cauſę naturales. Aut euenit neceſſariò, & ineuitabiliter, & habetur quod ab illis non eueniet caſualiter. Sed dices, quod eueniet contingēter, & euitabiliter à cauſis remotis. Contra, quia iſtę cauſę remotæ ſunt cauſę naturales, ergo neceſſariò producunt effectus ſuos, qui effectus producunt aliū effectū vltimum, & per conſequens in toto illo proceſſu nihil erit cōtingenter, & euitabiliter. Si autem dicatur, quod quamuis cauſę naturales ineuitabiliter agāt, quādo ſunt approximatę, tamen caſualiter, & contingenter approximātur, eo modo, quo oportet eas approximari, antequam agant. Contra, quia quęro de approximantibus illas cauſas, aut ſunt cauſæ naturales, & per conſequens neceſſariò, & ineuitabiliter ſūt approximatę, aut aliqua illarū eſt voluntaria, & per cōſequens effectus caſualis nō eueniet ſine actione cauſę voluntariæ.

Nullus eſſet caſus ſi auferentur agentia per cognitionem.

Confirmatur iſta ratio, quia ſi aliquis effectus dicitur caſualiter euenire ab aliqua cauſa. Aut hoc eſt, quia rarò euenit ab illa cauſa; aut quia cōtingenter, & euitabiliter euenit ab illa cauſa. Primū non poteſt dari, cū non ſufficiat ad caſualem effectū, quia tūc eclypſis Lunę caſualiter eueniret, & multę coniunctiones corporū cęleſtiū eſſēt caſuales, cū rarò eueniāt. Si ſecundū detur, reddit argumentū, ſcilicet quod nihil à caſu, & contingēter euenit à cauſis naturalibus, circūſcripta omni cauſa libera, & volūtaria. Dico ergo, quod multa eueniūt à cauſis naturalibus à caſu, propter hoc, quia cauſę naturales per actionē agētis naturalis approximātur aliquo modo pręter agentiū naturaliū intentionē, & pręter intentionē agētis volūtarij, quibus caſualiter approximatis ſequitur aliquis effectus ex eis rarò, & vt in paucioribus tamē effectus nō ſequeretur ex eis caſualiter, niſi illa cauſa agens voluntariè concurrat approximādo cauſas naturales, vel forte mediatè, vel immediatè produceret aliquem effectum, ex quò vnà cum aliis cauſis ſequitur aliquis effectus rarò, & vt in paucioribus: ita quod ad effectum caſualiter duo requiruntur, ſcilicet quod rarò eueniat, & non de neceſſitate, & ineuitabiliter eueniat, & quocunque iſtorum dempto non eſt caſualis effectus ſtrictiſſime, & propriiſſimè loquendo de caſu. Vnde ſciendum eſt quod caſus multipliciter accipitur, vno modo largè, & pro omni illo, quod euenit rarò ab aliqua cauſa naturali ſine omni variatione illius cauſæ, vel propter aliquam variationem cauſę illius; ſed propter concurſum alicuius alterius cauſæ, & iſto modo plura in natura accidunt a caſu

propter

propter abundantiam materiæ, vel defectum, vel propter aliam cauſam agentē concurrentem, quamuis illa neceſſario, & ineuitabiliter eueniant, ſicut alii effectus naturales, ſicut accidit pluuia, vel corruſcatio ſub cane. Aliter accipitur ſtricte, quando aliquis effectus eueniet ab aliqua cauſa, ſed euitabiliter & contingenter, ſicut dictum eſt, & illud nunquā accidit, niſi propter concurſum cauſæ à propoſito. Vnde omnes alii effectus, qui nullo modo dependent à cauſa volūtaria, poſſunt pręſciri à cognoſcentibus perfecte cauſam, ſed non poteſt ſciri effectus, qui caſualiter venit, ſtricte ſumpto vocabulo, & hoc de penultimo capitulo huius partis phiſicę.

Cap. Decimum Tertium.

SICVT dictum eſt, quędam ſont cauſæ per ſe, & quædam per accidens, & viſum eſt, quæ ſunt cauſæ per ſe, & quot rerum generabilium & corruptibilium, & quę ſunt cauſæ per accidens. Videndum eſt, an idem poſſit colocari ſub diuerſis generibus cauſarum, & videtur Philoſophus dicere quod tres cauſæ coincidunt, ſcilicet efficiens, formalis, & finalis, quia idem reſpectu eiuſdem poteſt eſſe cauſa formalis, & finalis, & idem homo poteſt eſſe cauſa efficiens, & finalis reſpectu eiuſdem. Propter cuius auctoritatem dicunt aliqui multi, quod idem reſpectu eiuſdem non poteſt eſſe cauſa materialis, & efficiens propter quod negant conſequenter idem poſſe mouere ſe, & agere in ſe, ſed hoc magis ſpectat ad alium locum determinare. Quantum ad nunc tamen pertinet, dico quod ſecundum principia Ariſt. ſiue aliquid poſſit eſſe cauſa materialis, & efficiens, ſiue non, tamen dico, quod idem reſpectu eiuſdem poteſt eſſe ſubiectum, ſiue materia, & cauſa efficiens ſiue mouens, ſic quod idem poteſt mouere ſe & agere in ſe, quod quidem maximè fit per motum, nam graue mouetur de ſe deorſum, ſicus inferius oſtendetur. Item aqua calefacta ſeipſam frigefacit, & volutas humana ſe ipſa cauſat ſuas volitiones & affectiones, aliter non poſſet dici libera, ſecundum quod omnia inferius oſtendetur. Dico ergo quod nec Phil. negat idem poſſe mouere ſe, nec agere in ſe, ſed vult quod idem non poſſit eſſe cauſa producens aliquod nouum, & ſi nihil vani, quod eſt altera pars compoſiti. Qualiter autem aliæ auctoritates Phi. contra iſtam debeant intelligi inferius oſtēdetur. Efficiens autem, & finis frequēter coinciduni in eadem ſpecie, ſicut in generatione hominis, homo, qui eſt efficiens, & finis quem intendit generare eiuſdem ſpeciei ſunt. Eſt autem ſciendū, quod ſicut tactum eſt ſupra, quidam finis eſt deſideratus, & ille, cum non ſit ante actionem, non coincidit in eodem numero cum efficiente, quia iſte finis non eſt efficiens. Eſt alius finis non deſideratus, ſed amatus, propter cuius amorem ages agit, ſicut aliquis propter ſeipſum ędificat, & laborat, & ille finis poteſt coincidere cū efficiēte in eodem numero, quia enim aliquis amat ſe, ideo vult potionem amaram ſumere, & ita idem numero eſt efficiens, & finis reſpectu eiuſdem, finis etiam deſideratus coincidit cū forma, quia effectus deſideratus, & intentus ab agente, eſt quandoquē forma producta ab agente, ſeu efficiente.

2. Phiſic. T. com. 70.

Explicit ſecunda pars Summularum in Libr. Phyſicorum Venerabilis Inceptoris Fratris Guilielmi de Villa Ocham Angli, ei Sacrarum Litterarum Profeſſoris Academiæ nominalium Principis, ex Ordine Minorum.

INCIPIT TERTIA PARS SVMMVLARVM In Lib. Phiſicorum.

Cap. Primum.

DETERMINATIS quibuſdam, ſcilicet duabus partibus de principiis, & partibus rerum generabilium & corruptibilium, & cauſis earum, videndum eſt de conditionibus, & proprietatibus & paſſionibus rerum naturalium. Prima autem paſſio, vel vna de paſſionibus rerum naturalium aſſignatur motus; omne enim corpus naturale per ſe ſubſiſtens eſt mobile. Quãuis hoc probari non poſſit, tamẽ eſt notum per experientiam, propter quod cõtra negantem motum non habet Phil. naturalis diſputare, ſicut nec aliquis habet diſputare contra negantem ſua principia per ſe nota, & probata per experientiam, quale eſt illud ſicut dictum eſt. Circa motũ autem proceditur ſic. Quia enim apud multos multę difficultates ſũt, quid ſit motus, & quid mutatio, apud quos tamen pro noto habetur, quæ ſunt ſpecies motus, ideo primo diuidam motum, & mutationem in ſuas ſpecies. Secundo oſtendam quid ſit motus, & quid mutatio. Circa primum eſt ſciendum, quod ſecundũ Philoſophum tertio huius tantum in quatuor prędicamẽtis eſt motus, ſcilicet in ſubſtantia, quantitate, qualitate, vbi, & accipit ibi motũ largè pro mutatione, & motu propriè dicto. Sciẽdum eſt autem, quod motus in ſubſtantia diuiditur in generationem, & corruptionem, tanquam duos motus, quorũ vnus eſt deperditiuus, & alius acquiſitiuus. Per generationem enim acquiritur forma ſubſtantialis, per corruptionem amittitur. Et ſic eſt de aliis motibus in aliis generibus quamuis careamus quandoq; nominibus iſtorum motuum, vnde in quantitate motus acquiſitiuus vocatur augumentatio, & motus deperditiuus diminutio. Similiter eſt in qualitate, quia eſt motus, quo acquiritur qualitas, puta calor, vel frigus. Alius eſt motus, quo perditur, & ita eſt de motu ad vbi, quia ad vbi eſt motus, quo deperditur, & acquiritur locus. Sed pro iſtis motibus in qualitate, & vbi, nõ habemus nomina cõmunia, quamuis quandoq; nomina ſpecialia habeamus, ſicut in qualitate motus acquiſitiuus lucis poteſt nominari, illuminatio, & motus deperditiuus lucis poteſt vocari obſcuratio, vel tenebratio. Oportet autem ſcire, quod quandoq; idem mouetur motu acquiſitiuo, & deperditiuo, nec aliter moueri poteſt, ſicut non poteſt aliquid moueri localiter, niſi tunc vnum locum acquirat per ſe, vel per ſuas partes, & alium amittat. Similiter nõ poteſt aliquid calefieri ſaltim ſucceſſiuè, niſi deperdendo aliquam aliam qualitatem. Eſt tamen differentia, quia quandoq; idem neceſſario mouetur motu acquiſitiuo, & deperditiuo, ſicut in motu locali, & quandoquè motus vnus præcedit alium, ſicut deperditio frigiditatis præcedit calefactionem, ſicut inferius oſtendetur. Similiter materia in motu ad formam ſubſtãtialem quamuis quandoq; fortè poſſit acquirere formam ſine deperdictione formæ præcedentis, tamen frequenter ammiſſio alicuius formæ præcedit, quandoq; autem eſt acquiſitio ſine omni deperditione, ſicut in augumentatione, & illuminatione, ita quod totaliter accidit, ſine hoc, quod aliquid deperdatur.

Diuiditur motus in ſuas partes ſubiectiuas

Cap. Secundum.

NARRATO quod in quatuor generibus eſt motus, videndum eſt profundius, quid eſt motus, & quomodo in quatuor generibus eſt motus. Oportet autem ſcire, quod ſicut dictum eſt in principio, motus accipitur largè, & ſtrictè, largè accipitur pro mutatione ſubita, & motu continuo, & extenſo ſtrictè autem accipitur ſecundum quod diſtinguitur contra mutationem ſubitam.

De quidditate motus termo.

ſumi-

tionis, & nō agentis, nec ſuiipſius, & tūc ſunt plures effectus ordinati aliquorum, & poſteriores ſunt cauſa finalis priorum. Quandoque autem agens agit immediate deſideratum, quia non ſunt plures effectus ordinati, ſed tātum vnus in ea actione productus, & tunc illud deſideratum non eſt cauſa finalis, & ideo tunc aliquid eſt cauſa finalis alicuius, quando deſideratur ab agente faciente aliud non ipſum. Et ſi dicatur quid eſt cauſa finalis talis actionis. Dicendum eſt, quod talis cauſa finalis eſt aliquid amatum, ex cuius amore aliquid producitur, quod amatum eſt, vel ipſum agens, vel aliud, vnde frequenter in actionibus humanis cauſa finalis eſt illemet homo agens operationes ſuas.

Cap. Quintum.

EX prędictis colligi poteſt diggrediendo, quod multi aſsignantes fines ſcientiarum, & cauſas finales earum, niſi melius intelligantur non conuenienter procedūt. Dicunt enim, quod alius eſt finis agentis, vel ſcientis, & ſcientiæ; vnde finis ſcientię eſt operatio ſecūdum illam ſcientiam, finis autem ſcientis eſt illud, quod intenditur a ſciente, ſed hoc poteſt bene, & male intelligi. Ad cuius euidentiam eſt notandum, quod quandoque ſecundum rectam rationem debet aliquid intendi ab agente, quod tamen ab eo non intenditur, nec deſideratur, quandoq; autem euenit, quod illud, quod non debet deſiderari, propter aliud deſideratur, ita quod illud, quod non debet eſſe finis, aliquando fit finis, & e couerſo, illud quod debet eſſe finis, non fit finis. Si autē finem vocent ſcientiæ illud, quod ſecundum rectam rationem debet deſiderari à ſciente, verū dicunt, quia alius eſt finis ſcientiæ, & aliud ſcientis, quia quando non intendit illud, quod debet ſecundum rationem illam, ſic poſſunt ſaluari dicta communia, hoc non obſtante dico, quod propriè loquendo de cauſa finali illud propter quod addiſcens acquirit ſcientiam, verè eſt cauſa finalis ſcientię, quod poteſt perſuaderi ſic. Quia illud per quod cōuenienter poteſt reſpōderi ad quęſtionē factā per quare de eſſe, vel fieri alicuius, eſt cauſa illius, ſed per talē finē deſideratū à ſciente, reſpōdetur ad quęſtionē factā per quare, vt ſi ſic quęratur ab aliquo, quare eſt iſta ſciētia, vel producitur, quādoq; cōuenit verè reſpōdere, vt iſte doceatur, vel ditetur, ergo tūc ipſa doctio, vel ditatio eſt cauſa finalis. Item illud, ſine quo multę res nō eſſēt, eſt cauſa efficiens, ſi proprie moueat, ſic & cauſa finalis ſi moueat metaphoricę, ſed aliquādo quis addiſcit, vt ditetur, ergo diuitię ſūt cauſa finalis illius ſciētię. Quod autē quod nō intēdit ab adiſcente, nō ſit propriè cauſa finalis, probo ſic, quia nihil habet rationē cauſę finalis, niſi quod mouet agens ad agendū, ſed nō intentū, vel non amatū, nec deſideratum non mouet agens ad agendum, ergo nō eſt propriè cauſa finalis. Dico tamen quod quamuis non deberet eſſe finis, niſi quod amatur, vel deſideratur ſecundū rectā rationem, tamen quandoq; finis eſt de facto illud, quod amatur, vel deſideratur cōtra ratione. Sed fortè quęres quādo aliquis adiſcit ſcientiā ſpeculatiuā, vt ditetur, vel vt honoretur, nunquid honor, vel diuitiæ ſint per ſe cauſæ finales illius ſcientiæ. Dicendum eſt, quod ſunt per ſe cauſæ illius ſcientiæ, quia non propter aliud adiſcit. Nam ſicut eſt de cauſa efficiente, ita eſt de cauſa finali, ſed ſic eſt de cauſa efficiente, quod tunc dicitur cauſa efficiens per ſe alicuius effectus, quando ille effectus non poteſt produci pro tūc, niſi ab illa cauſa, licet pro alio tempore poſſet produci ſine illa cauſa, & hoc ab alia cauſa: ſicut calor poteſt produci in ligno ab igne, & a Sole: ita ſimiliter eſt de cauſa finali, quia illud dicetur cauſa finalis, per ſe alicuius effectus, ſine quo talis effectus pro tunc produci non poſſet, quia ad cauſam per ſe ſufficit, quod effectus ſine

illo

illo non poſſit eſſe, quod eſt ve um tam de agente naturali, quam de cauſa finali.

Cap. Sextum.

PRÆDICTA de cauſa finali intelligenda ſunt de agente à propoſito, & ſponte, de quibus manifeſtum eſt, quod agunt propter finem, & quod eſt aliqua cauſa finalis ipſorum, de alijs autem, quę non agunt per cognitionem, & voluntatem, magis dubium eſt, an agãt propter finem, & vtrum in talibus ſit ponenda cauſa finalis. Nam de iſtis eſt magis dubium, quam de animatis anima ſẽſitiua, & quam de animalibus, in quibus eſt appetitus alicuius non habiti, propter quem appetitum multas agunt operationes, quas non faciunt ceſſante appetitu illo, & propter contrarias actiones, quas agunt diuerſis temporibus ſecundum ſucceſsionem contrariorum appetituum in eis. Primo ergo videndum eſt quomodo aliqua agũt propter finem, de quibus videndum eſt, quod ſicut animal rationale deſiderans aliquid, & propter hoc operatur, & ideo illud dicitur eſſe finis, & cauſa finalis, ſic animalia bruta deſiderantia illud, quod non habent, multas habent operationes, & illud deſideratum, ſiue appetitum eſt cauſa finalis illarum operationum, & ideo, quando appetitus ſenſitiuus præcedit in bruto, poteſt ibi aſſignari cauſa finalis reſpectu cognitionis humanæ, quando enim in brutis appetitus non præcedit operationem, ſicut quando animal ſentit aliquid, reſpectu cuius non eſt appetitus, tunc dicendum eſt, quod eodem modo eſt ponenda ibi cauſa finalis, ſicut reſpectu actionum, ſine omni cognitione. Similiter dicendum eſt de operationibus humanis, quas non agit homo per deſiderium, vel amorem præcedentem. Propter quod dicendum eſt, quando reſpectu inanimatorum eſt cauſa finalis De quo mihi videtur eſſe dicendum ſecundum principia Ariſt. quod ſi inanimata à nullo cognoſcente finem regantur, nec moueantur, quod in eis nõ eſt cauſa finalis, quia ſunt merè agentia ex neceſsitate naturę nihil prętendentia. Si autem regantur ab agente cognoſcẽte, vel producente, in illis eſt ponenda cauſa finalis, quę non eſt propriè intenta, nec deſiderata ab agente inanimato, ſed à dirigente, vel mouente, dicitur tamen impropriè cauſa finalis illius actionis, vel operationis, ſicut quando aliquis ſagittat ad aliquem terminum dirigens ſagittam, vel volens interficere aliquem, iſta interfectio non eſt propriè cauſa finalis illius ſagittationis, vel motus ſagittę, vt ſic propriè loquendo non dicatur tale agens agere propter finem talem, ſed hoc propriè dicitur de dirigente, vel mouente tale agens, vnde non propriè dicitur quod ſagitta mouetur, vel agit propter interfectionem, ſed bene dicitur quod ſagittans ſagittat propter infectionem. Similiter ſi aliquis per ignem comburit aliquam domum, vel aliquod aliud, & propter hoc mouet ipſum de loco ad locum: non dicitur propriè, quod ignis facit iſtam combuſtionem, ſed hoc propriè dicitur de mouente: Sed iſta exempla non ſunt propria, quia aliquando exempla ponimus non vt ita ſint, ſed vt ſentiant qui adiſcunt. Attamen adhuc poteſt dici, quod quando ſagitta mouetur à ſagittante, quod ibi duplex eſt motus, ſcilicet ſagittam primo mouens, & ab iſto eſt proprie finis, ſcilicet interfectio alicuius, quam intendit. Aliud mouens eſt aer, qui non intendit illum finem, & propter hoc aer non mouet ſagittam propter illum finem. Propter dicta Ariſtotel. oportet ſcire, quod quamuis apud eum poteſt multipliciter dici cauſa finalis, tamen ad præſens dupliciter accipitur, vno modo propriiſſime, & ſic finis dicitur aliquod intentum, ſiue deſideratum, vel amatum, propter quod agens agit, & ſic naturalia purè inanimata ſi non moueantur, & dirigantur ab aliquo agente non habent cau-

Quomodo inanimata agãt propter finem.

cauſam finalem, vel finem. Alio modo dicitur cauſa finalis, vel finis pro illo, quod ſecũdum curſum naturę, niſi impediatur ſequitur aliud, vel operat o alterius. & eodem modo ſequitur, ac ſi eſſet præſcitum, vel deſideratum ab agente, & iſto modo finis reperitur in inanimatis, etiam poſito, quod à nullo cognoſcente regulentur, vel moueantur, & ſic loquitur Philoſophus de cauſa finali ſecundo Phiſicorum verſus finem, vbi ponit in natura finem, quia eodem modo fit, ac ſi fieret ab arte.

Tex.com. 79.

Cap. Septimum.

POSTQVAM dictum eſt de cauſis quæ ſunt, & qui modo cauſant, núc dicendum eſt de modis cauſarum, & códitionibus. Aſſignantur ab Ariſt. ſecundo Phiſicorum ſex modi cauſarum principales, de quibus eſt notandum primo, quod Philoſophus non vocat modus cauſarũ aliqua inhęrentia à parte rei ipſis cauſis; Sed vocat modos conditiones quaſdam códitiones prędicabiles de nominibus cauſarum, non tamen vere prędicatur de eis niſi quando ſupponunt pro ipſis cauſis. Illi autem modi diuerſi competunt non ſolũ diuerſis cauſis diuerſorũ generũ, ſed etiam diuerſis in eodem genere; vnde quędam ſunt priores, & quędam poſteriores, ſicut cauſa ſanitatis dicitur artifex, & medicus, cauſa propinquior, ſiue prior eſt medicus, & artifex poſterior, ſiue remotior. Intelligendũ eſt autẽ quod iſti duo modi cauſarum, ſiue iſta diuiſio poteſt duobus modis intelligi, vno modo, vt vere vna res ſit cauſa remotior, & alia cauſa propinquior, & ſic inuenitur iſta diuiſio verificari de cauſa efficiente, & finali. Sed de cauſa efficiente vno modo tantũ, de cauſa autẽ finali dupliciter, vnde aliqua cauſa efficiens dicitur propinqua, ad cuius eſſe ſequitur aliud, ſicut ignis eſt cauſa caloris in ligno, & Sol eſt cauſa generationis plantę: aliqua autem dicitur cauſa efficiens remota, quia ſcilicet eſt cauſa cauſę tantũ, ſicut aliquis eſt pater alterius, quia eſt auus ipſius, ſed pater patris ſui, ſic & ignis dicitur cauſa remota illius, quod fit ab effectu ſuo, & tunc quando eſt cauſa remota nihilominus fit effectus ſine eo, niſi forte per accidens impediatur. Verũtamen ſciendũ eſt, quod quando illud, quod eſt cauſa cauſę, eſt cauſa propinqua, illud eſt cauſa alicuius effectus, cũ quo concurrit ad producendũ aliquem effectũ, ita quod ipſo ablato effectus non eſſet, & ideo dicitur cauſa non ſolum remota, ſed etiá propinqua. Cauſa autem finalis quędá eſt remota, quędam eſt propinqua. Cauſa autem remota eſt duplex, vna eſt cauſa finalis cauſę propinquæ, ſine qua tamen finis propinquus intenditur. Alia eſt cauſa finalis remota, quę non eſt immediata, ſine qua cauſa, aliqua cauſa nó intenditur, ſicut collectionis herbarum, cauſa finalis propinqua eſt potio amara. Cauſa vero finalis remota eſt ſanitas, quia potio amara non intenditur, niſi propter ſanitatem. Aliter intelligitur iſta diuiſio cauſę in cauſam remotam, & propinquam, ſiue in cauſam priorem, & poſteriorem, non quod ſit alia res cauſa prior, & alia res cauſa poſterior, ſed per prędicationem, hoc nomen cauſa, per prius dicitur de vno, & per poſterius dicitur de alio, non tamen dicitur de illis, niſi pro re, & non pro diuerſa re, ſed pro eadem, & ſic dicit Philoſophus ſecundo phiſicorũ, quod multipliciter cauſæ dicuntur, & ipſarũ ſimiliũ ſpecierũ, altera prius, & poſterius, altera dicitur eſſe vt ſanitatis medicus, & artifex, & ipſius quod eſt, vel dyapaſon duplum, & numerus, & propter continentiam ad vnũquodq; non enim quando dicit philoſ. quod ſanitatis cauſa eſt artifex, & medicus, vult quod ibi ſint duæ res, quarum vna ſit cauſa prior, & alia poſterior, quia illa eadem res, quę eſt medicina, eſt ars. Sed vult dicere quod hoc nomen cauſa ſanitatis, prius dicitur de hoc nomine medicus pro re, quam dicatur de hoc nomine

Tex com. 36.

mine artifex, pro eadem re, & ita cauſa ſanitatis dicitur vniuerſaliter de medico & non de artifice, & propter hoc per prius dicitur de medico, & per poſterius de artifice, & tamen idem omnino, qui eſt medicus, eſt artifex, & eadem res, quę eſt medicina, eſt ars.

Cap. Octauum.

PRÆTER prædictos duos modos cauſarū eſt alia diuiſio cauſæ, quod quædam eſt cauſa per ſe, quædam per accidens, quę etiam dupliciter poteſt intelligi, vt aliqua res extra animam dicatur cauſa per ſe, & aliqua res cauſa per accidens eiuſdem rei, & ſic intellecta iſta diuiſione non habet verum, ſiue locum in aliquo genere cauſæ, niſi in genere cauſæ efficientis, in quo ponitur fortuna, & caſus, de quibus poſterius dicetur. Non enim habet locum in genere cauſę formalis, eo quod nulla forma eſt forma alicuius per accidens, quãuis contingenter ſit forma, ſicut forma quælibet contingenter eſt cauſa. Nec habet locum in genere cauſæ materialis, quia non plus eſt vna materia cauſa materialis per accidens vnius compoſiti, quam alia. Nec in genere cauſæ finalis, quia finis dicitur finis reſpectu intenti; ſed nihil intenditur per accidens: quamuis intendatur propter aliud, & ſic vocando per accidens; ideſt pro alio, & non pro ſe, eſſet concedendum, quod aliquid eſt finis per accidens, & aliquid pro ſe, ſcilicet qui per ſe eſt intentus, ſed ſic non loquimur modo de per accidens. Aliter intelligitur iſta diuiſio iſto modo, quia aliqua propoſitio, vbi ponitur cauſa de aliquo, eſt per ſe, & quædam per accidens. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quod per ſe, & per accidens multipliciter capitur primo poſteriorum, quia aliqua ſunt in quibus omnia ſunt neceſſaria, & vbi eſt prædicatio directa, & propria, & illa dicuntur per ſe primo modo, vel ſecundo modo. Alia autem ſunt quæ non ſunt per ſe primo modo, nec ſecundo modo, & tamen vera ſunt, & habent prædicationem propriam, & directam, & dicuntur per accidens, quia ſunt contingentia, ſed iſto modo non loquimur hic de per ſe, & per accidens, tunc enim iſta non eſt per ſe, ſtatuam faciens eſt cauſa ſtatuæ, cum hęc ſit contingens, & non neceſſaria, cuius oppoſitum dicit Philoſophus ſecundo Phyſic. Aliter accipitur per ſe, & per accidens in propoſito, quod illa propoſitio dicitur per ſe, & non per accidens, in qua prædicatur propria cauſa de aliquo, ſcilicet quando in ſubiecto exprimitur propria cauſa prædicati, ſicut iſta eſt per ſe, ædificator ædificat, vel eſt cauſa domus, quia hoc nomen ædificator exprimit artem, per quam ædificator ædificat. Alia autem propoſitio, cuius ſubiectum non exprimit propropriam cauſam rei, dicitur per accidens ſicut iſta, homo ædificat, vel eſt cauſa domus, quia hoc nomen homo non exprimit artem illam, quę eſt immediata cauſa domus; ſed ſubiectum propriè cauſæ. Similiter illa eſt per accidens, cuius ſubiectum exprimit aliquid, quod totaliter eſt impertinens ad cauſam, ſicut iſta, album ædificat, nam ſubiectum exprimit albedinem, quæ nullo modo eſt cauſa ædificationis, & iſta eſt magis per accidens, quam iſta, homo ædificat, quæ tamen eſt per accidens, quia homo non eſt cauſa prima ædificationis, ſed eſt cauſa, quia eſt ſubiectum cauſæ primę, & hoc eſt quod dicit Phil. ſecundo Phyſic. vnuſcuiuſq; inquit ſummam cauſam oportet quęrere, vt homo ædificet, quia ædificator eſt, ædificator autem ſecundum ędificatoriã artem, & hęc eſt prima cauſa, & ſic de aliis, quamuis autem prędicto modo hęc ſit per accidens, homo ædi-

Per ſe, & per accidens dicuntur multis modis.

T. com. 6.

ędificat,& hęc ſimiliter, albú ędificat,& hęc per ſe, ædificator ędificat, tamé ſecundú proprietatem locutionis cócedo, quod ſi hęc ſit vera, ędificator per ſe ędificat, quod vtraq; iſtarum eſt vera, homo per ſe ędificat, albú per ſe ędificat, cum idem numero ſit ędificator, & homo albus, & hoc patet, quia caſu iſto poſito, ſequitur quod hęc eſt vera, hoc albú per ſe ædificat, nam ſequitur, hic ędificator per ſe ædificat, hic ædificator eſt albus, ergo album per ſe ędificat, premiſſę sút verę ſyllogiſmus eſt expoſitorius, ergo concluſio vera. Nec valet dicere quod hic ſyllogiſmus non ſit expoſitorius propter additionem iſtius dictionis per ſe in maiori, nec hoc impedit, ſicut patet inductiué, ſequitur enim, iſte currit velociter: iſte eſt albus, ergo albú currit velociter. Et ſi dicatur album per ſe ædificat, ergo hęc eſt per ſe, album ædificat, cuius oppoſitum eſt dictum. Dico quod conſequentia non valet, ſicut non ſequitur, album poteſt eſſe nigrum, ergo hæc eſt poſſibilis, album eſt nigrum. Similiter non ſequitur, forma exiſtens in hoc loco, eſt neceſſario corpus, ergo hæc eſt per ſe neceſſaria, forma exiſtens in hoc loco, eſt corpus, antecedens eſt verum, & conſequés falſum, eo quod hęc eſt cótingens, Sortes exiſtés in hoc loco eſt corpus, nec Philoſ. aliud intédit, quádo dicit albú ędificare per accidés, & non per ſe, niſi quod hæc eſt per accidens, album ædificat, & non per ſe. Iſta autem diuiſio ſic intellecta non ſolú cóuenit cauſę efficienti; ſed etiam aliis generibus cauſarú, ſicut enim hęc eſt per accidens, albú ędificat: eo quod ſubiectú exprimit aliquid, quod nullo modo eſt cauſa ędificationis, ita hęc eſt per accidés Intellectus eſt forma ſubſtátialis hominis, q́uis enim anima ſit per ſe forma hominis, quæ eſt intellectus, tamé intellectus exprimit actú intelligendi, qui non eſt forma hominis ſubſtantialis, ideo iſta eſt per accidens, & ſic dicendum eſt de aliis multis, quare &c.

Cap. Nonum.

CAVSA etiam diuiditur, ſcilicet tam cauſa per ſe, quá etiam per accidés. Similiter propinqua, & remota: quidam quędam eſt in actu, quędam in potentia, quę diuiſio ſic intelligenda eſt, quod de aliquo prædicatur hoc nomen cauſa: mediante hoc verbo, eſt, ſic dicendo, a. eſt cauſa, & de aliquo mediante hoc verbo, poteſt, ſic dicendo, a. poteſt eſſe cauſa, ſicut de ędificatore, quandoque poteſt dici quod ędificat, & tunc ędificator eſt cauſa, quádoq; quod poteſt ędificare, & túc verificatur, quod ędificator poteſt eſſe cauſa, & ſimiliter de omnibus generibus cauſarú. Eſt autem differentia inter cauſam in actu, & cauſá in potentia, quia cauſa in actu ſimul eſt, & non eſt cú ſuo effectu, ſed ſic non eſt de cauſa in potentia, quod non eſt intelligendú de ipſis rebus, quod ſemper deſtructo aliquo effectu deſtruatur aliqua res, quæ ſit cauſa eius, & quod ſemper deſtructa cauſa in actu deſtruatur aliqua res, quę eſt effectus eius, ſed ſic intelligenda eſt iſta differétia, quod quádo aliquid ceſſat eſſe cauſa alicuius, aliquid ceſſat eſſe effectus eius, ita quod bene ſequitur, hoc non eſt cauſa modo illius, ergo hoc non eſt cauſatum ab illo, & é conuerſo, & iſto modo ſequitur calefaciens non eſt, ergo calefactum non eſt, & é conuerſo, & ſimiliter ſequitur, calefactum eſt, ergo calefaciens eſt; capiendo calefactum pro eo, quod nunc ſit calidum. Et per hoc tamen quod calefactum non eſt: nulla res deſtruitur in calefactione, ſicut per hoc, quod aer deſinit eſſe illuminatus á ſole nulla res corrumpitur in Sole. Similiter ex hoc quod oculus deſinit videre colorem; nulla res deſtruitur in colore, ſicut intelligibile per hoc, quod deſinit intelligi ab anima, nihil omnino perdit. Sed illud de quo dicitur cauſa, mediante hoc verbo poteſt: non ſic ſe habet ad illud quod importat effectú, quia in talibus nó eſt mutua cóſequentia reſpectu eſſe, & non eſſe, non enim

enim ſequitur calefactú nó eſt, ergo calefactibile nó eſt, nec è cóuerſo, nec ſequitur calefactiuú eſt, ergo calefactibile eſt, niſi gratia materię Et non ſolú competit iſta diuiſio cauſæ per ſe; ſed etiam cauſæ per accidens, quia aliquod album ædificat, & aliquod albú poteſt ędificare, & aliquod dulce diſgregat, & poteſt diſgregare.

Cap. Decimum.

CAVSARVM alia eſt diuiſio, quia quędam eſt vniuerſalis, & quędam particularis, & ſicut cauſę vniuerſales ſunt cauſæ vniuerſalium, ita cauſę ſingulares ſingularium ſunt cauſæ effectuum, quod non eſt intelligendum: quod aliqua ſit cauſa vniuerſalis vniuerſalitate cauſationis, loquendo de cauſis ſubſtantiarum generabilium, & corruptibilium, de quibus nunc eſt ſermo, ſed ſic eſt intelligendum, quod ſicut nomen cómune cauſę dicitur reſpectu nominis communis effectus, ita ſingulare nomen cauſę dicitur reſpectu ſingularis nominis effectus: vnde ſicut dicimus, quod ſtatuam faciens, eſt cauſa ſtatuæ, quia omnis ſtatuam faciens eſt cauſa ſtatuę, quamuis non omnis ſtatuam faciens ſit cauſa huius ſtatuæ, vel illius, dicimus tamen, quod hic ſtatuam faciens eſt cauſa huius ſtatuæ. Quod autem vniuerſale non ſit cauſa vniuerſalis, poteſt oſtendi multipliciter. Primò, quia ſicut aliàs viſum eſt vniuerſale non eſt, niſi vox, vel conceptus mentis, vel ſcriptum, de quibus conſtat, quod non ſunt cauſę ſubſtantiarum. Secundò, quia poſito, quod vniuerſalia quędam eſſent eſſentię exiſtentes extra animam, ſicut quidam ponunt, adhuc vniuerſalia non eſſent cauſę vniuerſales, cum non eſſent cauſę vniuerſalium, quia illud quod eſt ante omnem actionem, non eſt effectus illius actionis, ſed iſta vniuerſalia ſunt ante omnem actionem, quia illa vniuerſalia ſecundum ſic errantes ſunt ęterna, ergo vniuerſalia non ſunt cauſę vniuerſalium: Hoc etiam eſt contra Phil. primo methaphy. qui dicit, quod actiones ſunt ſingularium, ergo cauſæ vniuerſales non cauſant effectus vniuerſales. Dico ergo quod nullú vniuerſale eſt cauſa alicuius generabilis, & corruptibilis extra animá & tamé de vniuerſali veré prędicatur hoc nomé cauſa non pro ſe, ſed pro cauſa, quę eſt extra animá, vnde iſta eſt vera, ignis eſt cauſa ignis, & aer eſt cauſa aeris, & tamé ſubiectú non eſt cauſa alicuius, ſed bené illud pro quo ſupponit. Competit auté diuiſio iſta ſic intellecta omni generi cauſæ, ná in omni genere cauſę inueniuntur nomina ſingularia, & vniuerſalia, de quibus dicitur cauſa, ná forma eſt cauſa formalis cópoſiti, & anima intellectiua eſt cauſa formalis hominis, & hęc anima intellectiua eſt cauſa formalis huiuſmodi hominis, & ſimiliter eſt de materia, & de hac materia, de fine, & de hoc fine. Oportet auté ſcire quod cauſa vniuerſalis pręter prędictú modú accipiendi cauſá vniuerſale, ſcilicet pro cauſa vniuerſali in prædicando aliter accipi poteſt, ſcilicet pro cauſa pluriú effectuú: vnde poteſt diſtinctio talis eſſe cauſæ vniuerſalis, quod quædá eſt cauſa vniuerſalis vniuerſalitate prædicationis, & quædá eſt vniuerſalis vniuerſalitate cauſationis, quę vocatur cauſa illimitata ad effectú vnú ſed ad plures ſe extendit. Cauſa auté vniuerſalis ſic dicta nó inuenitur in genere cauſæ materialis, nec formalis, quia nulla materia, vel forma eſt ſimul cauſa diuerſorum totaliter diſtinctorum, ſed ſolum inuenitur in cauſa efficiente, & finali. Et hæc diuiditur, quia duplex poteſt eſſe cauſa diuerſorum effectuum, tam eiuſdé ſpeciei, quá diuerſarú ſpecierú; vnde cauſa vniuerſalis vniuerſalitate cauſationis poteſt accipi dupliciter, ſcilicet largè, & ſtrictè. Largè dicitur illa, quæ poteſt ſucceſsiuè in plures effectus, & ſic ignis cauſans poteſt dici cauſa vniuerſalis, quia poteſt ſucceſsiuè cauſare plura. Aliter accipitur ſtrictè pro eo, quod po-

In prohemio cap. 1.

poteſt ſimul in plures effectus diuerſarũ ſpecierum, ſiue ſufficienter, ſiue inſufficienter, ſicut ſol eadem virtute producit vermem, & plantam, hominem, & aſinũ. Similiter ſimul mouet deſideratum, & intentũ à pluribus diuerſis agentibus cauſantibus effectus ſuos propter eorũ finem.

Cap. Vndecimum.

DICTO de cauſis per ſe, dicendum eſt de cauſis per accidẽs, quę quidem dicuntur per accidens, non quia de nominibus cauſarum prædicetur cauſa per accidens, ſed quia ipſę res ſunt cauſę per accidens, & dicuntur iſtę cauſę à pluribus fortuna, & caſus, quod non ſic debet intelligi quod ſint aliquę cauſę diſtinctè à cauſis per ſe, quæ ſint caſus, & fortuna. Sed ſic debet intelligi, quod ſunt aliquæ cauſæ aliquorum effectuum fortuito, & caſualiter, ſic vt per accidens valeat huic adverbio cauſaliter, vel alicui ſuperiori ad ipſum, & ſic idem ſimpliciter poterit eſſe cauſa per ſe, & per accidens, ſed reſpectu diuerſorum, ſicut idem eſt ſimile, & diſſimile, ſed diuerſis reſpectibus. Determinare ergo, & oſtendere quomodo caſus, & fortuna ſunt in rebus, non eſt aliud, quam explicare quomodo aliqua cauſant effectum, ſed fortuito, & caſualiter. Eſt tamen prius oſtendendum quomodo aliqua cauſa eſt fortuita cauſa alicuius effectus, quia hoc facilius poteſt videri, quam quomodo aliqua cauſa purè naturalis caſualiter cauſat effectum. Tunc enim aliqua cauſa eſt fortuita alicuius effectus, quãdo agens à propoſito operatur propter aliquem finem, propter quem aliquis alius effectus conſequitur operarationem agentis, vt in paucioribus, ſicut ſi aliquis vadat ad forum intentione emendi neceſſaria, & non cauſa inueniendi debitorem, quia non exiſtimat eum inuenire in foro, quod eo rarò inuenitur in foro, ſi inueniat debitorem, dicitur eũ fortuito inueniſſe, ita quod duo requiruntur ad hoc, quod ille fortuitu inueniat debitorem. Primo quod non intendat reperire eum. Si enim illa cauſa iret ad forum non diceretur fortuitu inueniſſe debitorem. Secundo requiritur quod ex profectione ad forum raro ſequatur inuentio debitoris. Si enim eſſet conſuetudinis, vt frequenter debitor reperiretur, quantumcunq; ille non intenderet reperire eum, ſi tamen iret ad forum, non diceretur fortuitu reperire debitorem. Poteſt autem contingi, quod idem effectus ab vno accidat fortuitu, & ab alio non fortuitu, & poteſt contingere, quod idem effectus ab omni cauſa ſua fortuitu accidat. Exemplum primi, ſi quis vadat ad forum non cauſa inueniendi debitorem, vbi rarò inuenitur, & ipſe debitor vadat ad forum, vt reperiatur à creditore, iſta inuentio fortuitu eſt à creditore, quia non frequenter accidit, nec reperitur ex intentione, non autem accidit fortuitu à debitore, quia ipſe inuẽtionem intẽdebat. Exẽplum ſecũdi, ſi nec debitor, nec creditor intẽdit illã inuẽtionẽ, & raro inuenitur in foro vterq; tũc ab vtroq, eſt fortuitu. Ex quo patet quod fortuna eſt cauſa agẽs à propoſito. Nõ enim dicimus, quod materia eſt fortuitu cauſa cõpoſiti, vel forma fortuitu eſt cauſa cõpoſiti, niſi fortè hoc dicatur, quod efficiẽs fortuitu facit formam in materia, & tũc diceretur, quod materia eſt fortuitu cauſa cõpoſiti, quia fortuitu fit ab agẽte ſub forma. Quod autẽ fortuna ſit cauſa agens à propoſito, nõ pôt probari niſi ex vſu loquentiũ, quia cõmuniter loquẽtes non attribuũt fortunam cauſis propriè naturaliter agẽtibus. Similiter, & cauſa finalis nunquam dicitur fortuitu cauſare: ſicut nec fortuitu intenditur ab agente, ſed per ſe intenditur.

Duo requirit fortuna.

Cap. Decimum ſecundum.

SICVT autẽ cauſa voluntaria, & agẽs à propoſito agit fortuitu, ita cauſa naturalis quandoque caſualiter agit, ſed magis latet quomodo cauſa naturalis caſualiter

ſualiter agat pro eò,quod cauſa naturalis ſemper vniformiter agit , & propter eundé finem ; non enim in diuerſis téporibus propter diuerſos fines agit, quemadmodú cauſa a propoſito diuerſos fines diuerſis téporibus intendit, imo idé pôt accidere ab eodé in eodé tempore caſualiter, & non caſualiter, quedamododum de eodé agente à fortuna verú eſt dicere de futuro,quod idé effectus poteſt ab illo euenire à fortuna , & etiá ex intétione,ſicut núc videtur,quod ſit verú dicere, quod aliquis effectus in tempore futuro poteſt fieri ab aliqua cauſa naturali caſualiter,& poteſt fieri ab aliqua cauſa nó caſualiter in eodé tépore. Eſt auté ſciendú,quod quáuis à cauſis naturalibus naturaliter agétibus poſſit illud fieri à caſu tamé circúſcripta cauſa agente volútariè,nihil poſſet accidere à caſu,cuius ratio eſt,quia illud,quod ex neceſſitate ineuitabiliter accidit , nó eſt caſualiter ; ſed circúſcripta omni cauſa libera,& agente volútarie quicquid euenit ab illis cauſis de neceſſitate,& ineuitabiliter eueniet,ergo nihil tale eueniet caſualiter,maior videtur manifeſta , quia nullú neceſſarium ineuitabiliter eueniés eſt caſuale , minor probatur,quia ſi aliquis effectus à cauſis naturalibus eueniret ſine omni cauſatione cauſę liberę , ſit ille effectus a. tunc quęro, aut a. euenit cótingenter, & euitabiliter,à ſuis cauſis immediatis, & hoc eſt impoſſibile,quia eo ipſo nó eſſét cauſę naturales. Aut euenit neceſſariò,& ineuitabiliter, & habetur quod ab illis non eueniet caſualiter. Sed dices,quod eueniet contingéter, & euitabiliter à cauſis remotis. Contra, quia iſtę cauſę remotæ ſunt cauſę naturales,ergo neceſſariò producunt effectus ſuos, qui effectus producunt aliú effectú vltimum, & per conſequens in toto illo proceſſu nihil erit cótingenter,& euitabiliter. Si autem dicatur,quod quamuis cauſę naturales ineuitabiliter agát, quádo ſunt approximatę, tamen caſualiter,& contingenter approximátur,eo modo , quo oportet eas approximari,antequam agant. Contra, quia quęro de approximantibus illas cauſas , aut ſunt cauſæ naturales , & per conſequens neceſſariò,& ineuitabiliter sút approximatę,aut aliqua illarú eſt voluntaria,& per cóſequens effectus caſualis nó eueniet ſine actione cauſę voluntariæ .

Nullus eſſet caſus ſi auferentur agentia per cognitionem.

Confirmatur iſta ratio,quia ſi aliquis effectus dicitur caſualiter euenire ab aliqua cauſa . Aut hoc eſt, quia rarò euenit ab illa cauſa;aut quia cótingenter,& euitabiliter euenit ab illa cauſa . Primú non poteſt dari, cú non ſufficiat ad caſualem effectú,quia túc eclypſis Lunę caſualiter eueniret,& multę coniunctiones corporú cęleſtiú eſſét caſuales,cú rarò eueniát. Si ſecundú detur,reddit argumentú,ſcilicet quod nihil à caſu,& contingéter euenit à cauſis naturalibus,circúſcripta omni cauſa libera,& volútaria. Dico ergo, quod multa eueniút à cauſis naturalibus à caſu, propter hoc, quia cauſę naturales per actioné agétis naturalis approximátur aliquo modo pręter agentiú naturaliú intentioné,& pręter intentioné agétis volútarij, quibus caſualiter approximatis ſequitur aliquis effectus ex eis rarò, & vt in paucioribus tamé effectus nó ſe quęretur ex eis caſualiter , niſi illa cauſa agens voluntariè concurrat approximádo cauſas naturales, vel forte mediatè , vel immediatè produceret aliquem effectum, ex quo vná cum aliis cauſis ſequitur aliquis effectus rarò , & vt in paucioribus : ita quod ad effectum caſualiter duo requiruntur , ſcilicet quod rarò eueniat,& non de neceſſitate,& ineuitabiliter eueniat , & quocunque iſtorum dempto non eſt caſualis effectus ſtrictiſſime, & propriiſſimè loquendo de caſu. Vnde ſciendum eſt quod caſus multipliciter accipitur, vno modo largè , & pro omni illo , quod euenit rarò ab aliqua cauſa naturali ſine omni variatione illius cauſæ , vel propter aliquam variationem cauſę illius ; ſed propter concurſum alicuius alterius cauſæ , & iſto modo plura in natura accidunt a caſu

propter

propter abundantiam materiæ, vel defectum, vel propter aliam cauſam agentē concurrentem, quamuis illa neceſſariò, & ineuitabiliter eueniant, ſicut alij effectus naturales, ſicut accidit pluuia, vel coruſcatio ſub cane. Aliter accipitur ſtricte, quando aliquis effectus euenit ab aliqua cauſa, ſed euitabiliter & contingenter, ſicut dictum eſt, & illud nunquā accidit, niſi propter concurſum cauſæ à propoſito. Vnde omnes alij effectus, qui nullo modo dependent à cauſa volūtaria, poſſunt præſciri à cognoſcentibus perfectè cauſam, ſed non poteſt ſciri effectus, qui caſu aliter venit, ſtrictè ſumpto vocabulo, & hoc de penultimo capitulo huius partis phiſicę.

Cap. Decimum Tertium.

SICVT dictum eſt, quędam ſunt cauſæ per ſe, & quædam per accidens, & viſum eſt, quæ ſunt cauſæ per ſe, & quot rerum generabilium & corruptibilium, & quę ſunt cauſæ per accidens.
2. Phiſic. T. com. 70. Videndum eſt, an idem poſſit collocari ſub diuerſis generibus cauſarum, & videtur Philoſophus dicere quod tres cauſæ coincidunt, ſcilicet efficiens, formalis, & finalis, quia idem reſpectu eiuſdem poteſt eſſe cauſa formalis, & finalis, & idem homo poteſt eſſe cauſa efficiens, & finalis reſpectu eiuſdem. Propter cuius auctoritatem dicunt aliqui multi, quod idem reſpectu eiuſdem non poteſt eſſe cauſa materialis, & efficiens propter quod negant conſequenter idem poſſe mouere ſe, & agere in ſe, ſed hoc magis ſpectat ad alium locum determinare. Quantum ad nunc tamen pertinet, dico quod ſecundum principia Ariſt. ſiue aliquid poſſit eſſe cauſa materialis, & efficiens, ſiue non, tamen dico, quod idem reſpectu eiuſdem poteſt eſſe ſubiectum, ſiue materia, & cauſa efficiens ſiue mouens, ſic quod idem poteſt mouere ſe & agere in ſe, quod quidem maximè fit per motum, nam graue mouetur de ſe deorſum, ſicut inferius oſtendetur. Item aqua calefacta ſeipſam frigefacit, & voluntas humana ſe ipſa cauſat actus ſuos volitiones & actiones, aliter non poſſet dici libera, ſecundum quod omnia inferius oſtendetur. Dico ergo quod nec Phil. negat idem poſſe mouere ſe, nec agere in ſe, ſed vult quod idem non poſſit eſſe cauſa producens aliquod nouum, & ſi non variari, quod eſt altera pars compoſiti. Qualiter autem alię auctoritates Phi. contra iſtam debeant intelligi inferius oſtendetur. Efficiens autem, & finis frequēter coincidunt in eadem ſpecie, ſicut in generatione hominis, homo, qui eſt efficiens, & finis quem intendit generare eiuſdem ſpeciei ſunt. Eſt autem ſciendū, quod ſicut tactum eſt ſupra, quidam finis eſt deſideratus, & ille, cum non ſit ante actionem, non coincidit in eodem numero cum efficiente, quia iſte finis non eſt efficiens. Eſt alius finis non deſideratus, ſed amatus, propter cuius amorem ages agit, ſicut aliquis propter ſe ipſum ędificat, & laborat, & ille finis poteſt coincidere cū efficiēte in eodem numero, quia enim aliquis amat ſe, ideo vult potionem amaram ſumere, & ita idem numero eſt efficiens, & finis reſpectu eiuſdem. finis etiam deſideratus coincidit cū forma, quia effectus deſideratus, & intentus ab agente, eſt quandoque forma producta ab agente, ſeu efficiente.

Explicit ſecunda pars Summularum in Libr. Phyſicorum Venerabilis Inceptoris Fratris Guilielmi de Villa Ocham Anglici Sacrarum Litterarum Profeſſoris Academiæ nominalium Principis, ex Ordine Minorum.

INCIPIT TERTIA PARS SVMMVLARVM In Lib. Phiſicorum.

Cap. Primum.

DETERMINATIS quibuſdam, ſcilicet duabus partibus de principiis, & partibus rerum generabilium & corruptibilium, & cauſis earum, videndum eſt de conditionibus, & proprietatibus & paſſionibus rerum naturalium. Prima autem paſſio, vel vna de paſſionibus rerum naturalium aſſignatur motus; omne enim corpus naturale per ſe ſubſiſtens eſt mobile. Quãuis hoc probari non poſſit, tamẽ eſt notum per experientiam, propter quod cõtra negantem motum non habet Phil. naturalis diſputare, ſicut nec al quis haber diſputare contra negantem ſua principia per ſe nota, & probata per experientiam, quale eſt illud ſicut dictum eſt. Circa motũ autem proceditur ſic. Quia enim apud multos multę difficultates ſũt, quid ſit motus, & quid mutatio, apud quos tamen pro noto habetur, quæ ſunt ſpecies motus, ideo primo diuidam motum, & mutationem in ſuas ſpecies. Secundo oſtendam quid ſit motus, & quid mutatio. Circa primum eſt ſciendum, quod ſecundũ Philoſophum tertio huius tantum in quatuor prędicamẽtis eſt motus, ſcilicet in ſubſtantia, quantitate, qualitate, vbi, & accipit ibi motũ largè pro mutatione, & motu propriè dicto. Sciẽdum eſt autem, quod motus in ſubſtantia diuiditur in generationem, & corruptionem, tanquam duos motus, quorũ vnus eſt deperditiuus, & alius acquiſitiuus. Per generationem enim acquiritur forma ſubſtantialis, per corruptionem amittitur. Et ſic eſt de aliis motibus in aliis generibus quamuis careamus quandoq. nominibus illorum motuum, vnde in quantitate motus acquiſitiuus vocatur augmentatio, & motus deperditiuus diminutio. Similiter eſt in qualitate, quia eſt motus, quo acquiritur qualitas, puta calor, vel frigus. Alius eſt motus, quo perditur, & ita eſt de motu ad vbi, quia ad vbi eſt motus, quo deperditur, & acquiritur locus. Sed pro iſtis motibus in qualitate, & vbi, nõ habemus nomina cõmunia, quamuis quandoq; nomina ſpecialia habeamus, ſicut in qualitate motus acquiſitiuus lucis poteſt nominari, illuminatio, & motus deperditiuus lucis poteſt vocari, obſcuratio, vel tenebratio. Oportet autem ſcire, quod quando què idem mouetur moti acquiſitiuo, & deperditiuo, nec aliter moueri poteſt ſicut non poteſt aliquid moueri localiter, niſi tunc vnum locum acquirat per ſe, vel per ſuas partes, & alium amittat. Similiter no poteſt aliquid calefieri ſaltim ſucceſſiuè, niſi deperdendo aliquam aliam qualitatem. Eſt tamen differentia, quia quandoq; idem neceſſario mouetur motu acquiſitiuo, & deperditiuo, ſicut in motu locali, & quandoquè motus vnus præcedit alium, ſicut deperditio frigiditatis præcedit calefactionem, ſicut inferius oſtendetur. Similiter materia in motu ad formam ſubſtãtialem quamuis quandoq, fortè poſſit acquirere formam ſine deperdictione formæ præcedentis, tamen frequenter ammiſſio alicuius formæ præcedit, quandoq; autem eſt acquiſitio ſine omni deperditione, ſicut in augumentatione, & illuminatione, ita quod totaliter accidit, ſine hoc, quod aliquid deperdatur.

Diuiditur motus in ſuas partes ſubiectiuas

Cap. Secundum.

NARRATO quod in quatuor generibus eſt motus, videndum eſt profundius, quid eſt motus, & quomodo in quatuor generibus eſt motus. Oportet autem ſcire, quod ſicut dictum eſt in principio, motus accipitur large, & ſtrictè, large accipitur pro mutatione ſubita, & motu continuo, & extenſo ſtrictè autem accipitur ſecundum quod diſtinguitur contra mutationem ſubitam.

De quidditate motus ſermo.

ſum-

Similiter motus non eſt ſine mouente, & agente, accipiendo large agens, ſimiliter, nec ſine moto, & paſſo. Propter quod non ſolum oportet conſiderare de mutatione, & motu, ſed etiam de actione, & paſſione, & incipiendū eſt a ſubita mutatione. De qua oportet ſcire, quod

Mutationē non eſſe rē diſtinctam ab eo quod mutatur.

ſecundum principia Ariſt. non eſt aliqua res ſecundum ſe tota diſtincta ab omni re permanēte, quæ neceſſario deſtituatur; quando aliquid mutabile quieſcit ſub forma, vel reſtat mutari ad formā, vel ad quodcunquè. Deinde videndum eſt quid eſt. Quod autē non ſit talis res, probo, quia ſi ſic, ſequeretur, quod infinitæ res totaliter diſtinctę, quandocunq; aliquid moueretur, eſſent deſtructæ, & perditæ, quia infinita inſtantia ſunt in quolibet tempore, in quo aliquid mouetur, & per conſequens infinitæ mutationes, ſi ergo mutationes eſſent tales res, ſic infinitæ res eſſent generatę, & corruptæ. Præ. ſi eſſet illa mutatio ſic res diſtincta, quęro quomodo corrūpitur, aut ad inductionē ſui cōtrarij, aut ad deſtructione ſui ſubiecti, aut ad ſubſtractionē ſuæ cauſæ, non primo modo, quia nullū contrarium mutationi inducitur, nec ſecūdo modo, quia ſubiectū ſuum manet, vel manere poteſt, nec tertio modo, quia quęcunque cauſa ſit illa, illa manet, vel manere poteſt. Et iſtud argumentū maiorē euidentiā habet de vltima mutatione, de qua dicūt, quod verè eſt actu, quamuis ponant priores aliquid in potentia, quia reſpectu illius non poteſt dici quod aliqua prędictarum cauſarum inueniatur. Præ. ſi ſit talis res, quęro in quo Prędicamento ponitur: nō in genere ſubſtātiæ patet, quia tunc ſubſtātia corrumperetur quandocunq; mobile ceſſaret mutari, nec in genere quātitatis, vt patet inductiuè diſcurrēdo per omnes ſpecies quantitatis, nec qualitatis, nec relationis, patet diſcurrendo per omnes ſpecies qualitatis, vel relationis, nec vbi, nec habitus, nec actionis, nec paſſionis, quia actio, & paſſio, nō ſunt tales res, vt inferius oſtendetur. Sed dicetur quod mutatio non eſt per ſe in Prędicamēto aliquo; ſed per reductionē tantum, quemadmodum punctus, & vnitas ſunt in genere quantitatis, non per ſe; ſed per reductionē tanquam principia. Sed hoc nō ſufficit, quia nihil eſt in Prædicamēto per reductionem; niſi ſit pars alicuius per ſe exiſtētis in illo Prędicamēto, ſicut materia, & forma ſubſtatialis ſūt per reductionē in Prędicamēto ſubſtātię, quia ſubſtātię ſūt partes: quæ eſt per ſe in Prędicamento ſubſtātię; ſed mutatio nullius quātitatis eſt pars, etiā ſecundū ſic opinātes, ergo non eſt per reductionē in Prędicamēto quātitatis; neq; verū eſt quod dicitur, eſt principium quantitatis, ſcilicet motus, & ideo eſt in genere per reductionem, quia ad hoc quod aliquod principium ſit in genere eodē per reductionem cū principiato, oportet quod ſit principiū eſſentiale intrinſecū illi principiato. Item eadem facilitate diceretur, quod ſol per reductionēm eſt in eodem genere cū calore, quia eſt principium caloris. Propter quod patet, quod illud, quod dicitur de puncto, & vnitate non valet, quia ſi punctus, & vnitas eſſent tales res, ſicut illi imaginantur, & falsò, nō eſſent per ſe in aliquo genere; ex quo nō ſunt partes exiſtētium per ſe in genere. Similiter ſi mutatio eſſet per ſe principiū quantitatis, & non eſt ſubſtātia, ergo eſt accidens, & tūc de eius ſubiecto quęro, aut eſt diuiſibile, aut indiuiſibile, non indiuiſibile, patet de ſe; quando enim corpus mouetur localiter, manifeſtum eſt, quod nullū indiuiſibile eſt primū ſubiectum mutationis, quia aut eſſet materia, aut forma, aut compoſitum, quæ omnia ſunt diuiſibilia ſecundum Philoſ. ergo ſubiectū eius eſt diuiſibile, & per cōſequens iſta mutatio eſt diuiſibilis, & extēſa ad extēſionem ſui ſubiecti, & per cōſequens longa, lata, & profunda, & ita verè erit quantitas, cū nō ſit ſubſtantia, nec qualitas ſecundum eos, tamen nec quātitas mutari videtur, quando mobile ceſſat moueri, & quod debeat perdere

tantam

tantam quantitatem, nec videtur primo poſſe poni quod faciat vnum per ſe cum quantitate manente, ergo erit poſterior ea, & per conſequens eſſet ſubiectiue in ea; ſed omnem lõgum, latum, & profundum poſterius quantitate eſt qualitas ſubiectiuè exiſtens in quantitate, ergo iſta mutatio erit qualitas extenſa. Multa alia poſſent dici ad probandum mutationem non eſſe talem rem, quæ breuitatis cauſa omitto.

Cap. Tertium.

EX quo mutatio nõ eſt talis res totaliter diſtincta à re permanẽte; vidẽdum eſt quid ſit, & videtur mihi, tenẽdo principia Ariſt. quod magis eſt hæc difficultas vocalis, quã realis. Si enim vteremur præciſè iſto vocabulo, mutare, & ſuis participiis, & nominibus verbalibus, quæ ſecũdum omnes ſupponũt pro eiſdẽ, pro quibus ſua participia, ſecundũ omnes parua eſſet difficultas, & dico veſtigius Phil. inhærendo, quod nõ ſũt nobis aliqua vocabula neceſſaria ad exprimendũ omnia, quę pro rebus ſupponãt, quãdo mutationem cõcipimus: propter quod vocabula talia, mutatio, mutatum eſſe, & ſi quę ſint alia ſimilia, quę faciũt difficultatẽ in iſtis rebus, nõ ſunt neceſſaria, nec requiruntur ad exprimendũ mentis conceptũ; ſed ſufficiũt iſta, mutabile, mutatũ, mutandũ, mutaturũ, mutare, illa autem omnia ſunt inuẽta, vt copiã verborũ habeamus ad ornatẽ exprimendũ, quę mẽte cõcipimus, & nõ propter neceſſitatẽ, & ideo nõ inane, quia propter loqui ornatè dicitur, ideo quãuis impropriè talibus vocabulis vtamur, non tamen fruſtra, & vanè; ſed benè enunciãtur, tamẽ tales ſermones ſunt ſanè intelligendi, & ad videndum de veritate, & falſitate eorum reſoluendi ſunt in ſermones proprios, pro quibus ponũtur impropriè. Ad ſciendum autem quid ſit mutatio, primo videndum eſt de re, ſecũdo de modo loquendi. Dico quantum ad rem, quod quando aliquid mutatur, ibi eſt illud, quod mutatur, ſcilicet aer, vel ignis, & res quę acquiritur, vel deperditur, ſicut quando aer illuminatur, præter aerem eſt lux, quæ nunc primo eſt in aere, & ante non erat. Et his poſitis omnibus aliis amotis, exceptis cauſis, ſine quibus aer, & lux eſſe non poſſunt, verè aer mutatur ad lucem, patet ergo quod præter aerem, & lucem nunc exiſtentem in aere non requirit mutatio aliam rem aliquam. Vnde poteſt mutari ſic ſufficienter deſcribi deſcriptione exprimente quid nominis, illud mutatur quod præexiſtens habet aliam formam, vel locum, quem prius non habebat, vel caret forma, & tali loco, quem prius habuit. Dico autem præexiſtens, quia ſi aliquid generetur ſub aliqua forma, puta ignis ſub calore: quamuis tunc ignis, quando primo eſt, habet formam, ſcilicet calorem, quem prius non habuit, tamen non mutatur ſtrictè accepto vocabulo, quãuis poſſit mutari ſumpto vocabulo largè. Dico quod habet formam, vel locum, quia illud, quod mutatur, habet formam aliquam, quam prius non habuit, & quandoquè alium locum ſecundum ſe, vel ſecundum ſuas partes. Dico etiam, vel quod caret forma; vel loco, propter illud, quod mutatur, quia quandoq; ſolum ammittit, ſicut patet in tenebratione, & ſimilibus, quamuis hoc de loco non ſit poſſibile. Eſt autem iſta deſcriptio eadem realiter cum illa, In qua dicitur. Mutari eſt aliter ſe habere nunc qu. m prius: hoc eſt, idem realiter prædicatur de eis; non enim aliter aliquid ſe habet nunc quam prius, niſi quia habet formam, vel locum, quem prius non habuit, vel caret forma, vel loco, quem prius habuit. Et hoc poſito, quod aliquod mutabile ſit in loco, in quo prius non fuit, ſine hoc, quod aliquid aliud ſibi aduẽniat, aliter ſe habet nunc quam prius. Similiter poſito quod aliquod corpus informetur albedine, quam prius non habuit, verè mutatur; quamuis nihil habeat, quod prius non habuit, præter ipſam albedinem.

Mutatio quid ſit.

Ex quo patet, quod ad hoc, quod, aliquid mutetur ſufficiunt res permanentes, ita tamen quod vna ſit in alia, & prius non fuit, vel quod vna non ſit in alia, in qua prius fuit. Et ita ad hoc, quod aliquid mutetur, nullo modo requiritur aliqua res, quę ſtatim debeat deſtrui, nulla enim res videtur, quod quando aliquid illuminatur ſubito à ſole, vel viſio ſubito à viſibili, quod oporteat ponere nunc præter lucem in aere, & præter viſionem in viſu, aliá rem, quę debeat ſtatim ceſſare. Et nō minus inconueniéter ponitur, quod quando aer ſubito obſcuratur, vel oculus ſubito deſinit videre, quod túc oporteat ponere aliá ré in aere, vel in oculo de nouo in inſtanti ſubito ceſſatá in nihil. Sed ſolú ad hoc, quod aer obſcuretur, ſufficit, quod lux ceſſet eſſe in aere ad ſubſtractionē ſuæ cauſæ abſq; poſitione alicuius rei ſubito deſtruendæ. Ex quibus patet, quod quando aliquid mutatur ad formá, quádo prius non habuit, non oportet, quod habeat duas formas vnam permanentem & aliam tranſeuntem; ſed ſufficit, quod habeat vnicam formam, quam prius non habuit, & ideo mutatur. Similiter quádo aliquid mutatur á forma aliqua, non oportet, quod habeat vnam formá tranſeuntem, & careat aliqua permanente; ſed ſufficit, quod nō habeat illam formá permanentem, quam prius habuit. Ex quibus omnibus patet, quod nulla eſt neceſſitas ponendi tales res tranſeuntes pręter res permanentes, quæ habeant durare per tempus; & ideo mutatio non eſt talis res ſubito tranſiens, & deſtructa, quę tantum duret per inſtans.

Cap. Quartum.

VISO quomodo aliquid mutatur acquirendo, & dependendo aliquod permanés abſq; hoc quod aliquod ſubito pertranſiens amittat, vel acquirat, videndum eſt de modo loquendi, quod vt melius, & planius pateat: aliquę obiectiones ſunt faciédæ contra prædicta, & ſoluendæ, quibus ſolutis patere poterit quomodo poterunt ſaluari dicta cótraria, cótra prædicta. Videtur enim, quod mutatio ſit quædá res diſtincta à rebus permanétibus. Primo quidem, quia communiter dicitur, quod mutatio eſt indiuiſibilis, & inextenſa; ſed quodlibet permanens in his inferioribus eſt diuiſibile, & extenſú, ergo &c. Secundo, per mutationem acquiritur forma, ſed non per rem permanentem, igitur &c. Tertio, mutatio eſt in inſtanti, et non in tempore, per hoc enim diſtinguitur à motu, ſed res permanés nō eſt tantum in inſtanti, ſed etiam in tempore, ergo &c. Quarto, mutatio ceſſat, quando deſinit res mutari, ſed nulla res permanens tunc ceſſat ergò, &c. Quinto, mutatio menſuratur inſtanti, & non tempore, ſed res permanens non menſuratur inſtanti, ergo &c. Sexto, in motu ſunt infinitę mutationes, ſiue infinita mutata eſſe, ſed non ſunt infinitę res permanentes. ergo &c. Iſtis non obſtantibus dicendum eſt, quod ſicut prius dictum eſt mutatio ſecundum Philoſ. nō eſt talis res. diſtincta á rebus permanentibus. Ad cuius euidentiam ſciendú eſt, quod quędam ſunt nomina, quę propriè ſupponút pro aliquibus determinatis ſine tropo, & figura grammaticali, vel vulgari, ſicut homo, animal, albedo, agens, patiés, & huiuſmodi. Quædam ſunt nomina propter eloquii ornatum inuenta, quæ ſine omni tropo, propriè non ſupponunt pro rebus quibuſcunq; ſed ponuntur loco plurium dictionum, & quandoq; verborum, & àduerbiorum, & huiuſmodi, & talia ſunt multa nomina ab aduerbiis, & verbis ficta, & ab aliis partibus orationis formata, cuiuſmodi talia, actio, paſſio, motus mutatio, & ſimilia. Et quandocunq, talia ponuntur in orationibus, reſoluédæ ſunt orationes in alias, in quibus ponuntur dictiones propriè ſine omni tropo, & figura, & per tales orationes ſunt alię intelligendæ, & ſecundú eas iudicádum eſt de veritate impropriarum. Et ſecundum iſta dicendum eſt ad primam inſtantiam ſuperius poſitam.

Obiectiones contra prædeterminata.

Nominum diſtinctio.

Soluuntur obiecta.

Vnde

Vnde quando dicitur mutatio eſt indiuiſibilis, & inextenſa, dico, quod iſta propoſitio ſecundum intellectum antiquorum eſt vera, quia per iſtam intelligitur iſta, quando aliquid mutatur acquirendo, vel deperdendo aliquid, indiuiſibiliter acquirit, vel ammittit illud, hoc eſt, non eſt verum dicere ſucceſſiuè, illud quod mutatur, habet illud, & non habet illud, & iterum poſt illud, quod mutatur, habet illud, & non habet illud; hoc enim includeret contradictionem, & ita non diuiſibiliter acquirit, vel deperdit illud, quod mutatur, & ideo in propoſitionibus hoc nomen, mutatio, reſoluendum eſt, & loco iſtius nominis, ponenda ſunt alia vocabula, & ſimiliter etiam quandoq; loco alicuius alterius termini ponēda ſunt alia vocabula, vel aliud vocabulum. Sed fortè diceres, hic eſt in forma ſyllogiſtica. nullum permanens in iſtis inferioribus eſt indiuiſibile, mutatio eſt indiuiſibilis, ergo mutatio non eſt permanens, & non eſt nihil, ergo aliquid, ergo diſtincta à rebus permanentibus. Dicendum eſt, quod ſæpe in forma ſyllogiſtica ſecūdum vocem eſt fallacia æquiuocationis, vel amphibologiæ, vel aliqua alia. Et ideo in tali caſu non eſt abſolutè concedendus diſcurſus vocalis, ſed diſtinguendæ ſunt propoſitiones, vel propoſitio, & quandoquè in propoſitione in vno ſenſu accepta valet diſcurſus, & in alio ſenſu non valet. Per hoc ad propoſitum dicēdum eſt, quod iſta propoſitio, mutatio eſt indiuiſibilis, eſt diſtinguenda penes amphibologiā. vnus enim ſenſus eius eſt, quod aliqua res, pro qua ſupponit hoc nomen mutatio, ſi formetur propoſitio eſt indiuiſibilis, & eſt iſte ſenſus falſus, ſicut dictum eſt. Alius ſenſus eſt iſte, quādo aliquid mutatur acquirendo, vel deperdendo aliquid, non acquirit, vel deperdit ipſum diuiſibiliter, hoc eſt ſucceſſiuè, vel aliquid in mutatione eſt prius, & poſterius, ſed ſimul, ita quod prius nō habuit ipſum, vel caruit ipſo, & tamen nō caret ipſo nūc. Similiter iſta propoſitio, mutatio non eſt permanens, eſt diſtinguenda penes amphibologiam, vnus ſenſus eſt. Aliqua res, pro qua ſupponit hoc nomen, mutatio, ſi formetur propoſitio, non eſt res permanens, & hic ſēſus eſt falſus. Alius ſenſus eſt iſte, quando aliquid mutatur ad aliquid non mutatur ſæpius, vel in tempore, vel in pluribus temporibus, ſed ſemel tantum, & hic ſenſus eſt verus. Nunc patet manifeſtè, quod minore accepta in primo ſenſu eſt bonus diſcurſus, ſed tam minor, quàm concluſio eſt falſa. Similiter accepta minore in ſecundo ſenſu, & cōcluſione, diſcurſus eſt bonus, & tam maior, quàm concluſio eſt vera, ſed hoc in nullo repugnat dictis prius, vt patet manifeſtè. Vnde iſta propoſitio, mutatio non eſt permanens, habet vnum ſenſum verum, ſicut dictum eſt. Si autem minor ſumatur in primo ſenſu, & concluſio in ſecundo, patet, quod non valet diſcurſus. Ad ſecundum dicendum eſt, quod quando dicitur, per mutationem acquiritur forma, iſte eſt ſenſus, quando aliquid mutatur acquirit formam, & ideo mutatio non eſt aliqua res diſtincta ab acquirente formam, & à forma acquiſita, quaſi media inter ea, per quam acquiratur forma, ſed eſt ſenſus iſte de quo dictum eſt. Ad tertiū quando dicitur, quod mutatio eſt in inſtanti, dicendum eſt, quod ſenſus eſt iſte, quando aliquid mutatur, in inſtanti mutatur, & non in tempore, hoc eſt nō mutatur ſucceſſiuè per prius, & poſterius, ſed ſimul, ſicut, quando dicitur, quod illuminatio aeris eſt in inſtanti, ſenſus eſt iſte: Aer non illuminatur ſucceſſiuè, ita quod primo habeat lumē, & acquirat lumen, & poſtea habeat lumen, & per hoc diſtinguatur propoſitio. Ad quartum dicendum, quod ſenſus talium propoſitionum, mutatio ceſſat, mutatio non manet, mutatio deſtruitur, & huiuſmodi eſt iſte, mutabile ceſſat mutari, mutabile nō mutatur, mutabile deſinit mutari, & ſic de conſimilibus conſimiliter eſt dicendū. Iſta autem propoſitio, mutabile ceſſat

mutari, non verificatur per ceſſationem alicuius rei in eſſe reali; ſed ex hoc ipſo quod mutabile rem aliam habet, quam prius non habuit: vnde aere illuminato, & lumine cõſeruato in aere, nulla re deficiente, vel corrupta, ex hoc ipſo quod aer retinet præcise omnes res, quas prius habuit: & nulla de nouo acquirit, aer ceſſat mutari, & ideo mutatio non eſt talis res, quia fruſtra poneretur. Per idem ad quintum eſt dicendum, quod ſenſus iſtius propoſitionis, mutatio menſuratur in inſtāti, eſt iſte, mobile non ſucceſſiuè mutatur ad illud, quod acquirit; ſed in inſtanti, hoc eſt, non ſucceſſiue. Ad vltimum dico; quod ſenſus iſtius propoſitionis, in quolibet motu ſũt infinitę mutationes, eſt iſte: quando aliquid mutatur, acquirit infinita, vel deperdit: quia ſũt infinitę res permanentes partiales tantum, & facientes vnum finitum ſicut inferius oſtendetur. Ex prædictis patet, quomodo dicta contraria in alia materia habent intelligi, & per conſequens quomodo eſt loquendum. Sed forte quæres. Aut mutatio eſt aliquid, aut nihil; Si nihil, non pertinet ad aliquam ſcientiam; Si eſt aliquid, aut permanens, quod non videtur conſonum dictis Philoſophorum, vel eſt aliud à re permanente, & hoc eſt intentum. Dicendum: vt plures, & maximè ſapientes, & hoc præcipuè, quando plures recipiunt modum loquendi à ſapientibus, & ideo loquendo, vt ſapientes loquebantur, & iſto ſenſu, quem ſapientes habebant, dico quod mutatio eſt aliquid: quia per iſtam propoſitionem intelligebant iſtam, quando aliquod mutabile mutatur, & acquirit, vel deperdit aliquid, eſt aliquid. Et quando dicitur quod non eſt res permanens, dico ſecundum eoſdem, quod iſta eſt vera: quia eſt ſenſus, quando mutabile mutatur, non mutatur ad aliquid determinatum in diuerſis temporibus; ſed ſimul, & ſemel tantum. Et quando infers, ergo eſt alia res à rebus permanentibus, non valet conſequentia: quia illud conſequens non plus ſequitur ex illa propoſitione, quam ex propria exprimente ſenſum iſtius. Si autem aliter intelligas iſtam propoſitionem, mutatio eſt aliquid, videlicet quod mutatio ſupponeret pro aliquo determinato, ad modum quo in iſta propoſitione, album eſt aliquid, ſubiectum ſupponit pro ſubiecto albedinis, & in iſta, homo eſt animal, ly homo, ſupponit pro illa re, vel pro illa, quæ eſt homo, tunc oportet quod ſupponat pro aliqua re permanente, ſecundum quod aliqui dicunt, & concedunt, quod mutatum eſt mutatio, & per conſequens mutatio ſupponit pro re mutata. Si autem dicas, quod non ſupponat pro re permanente, licet prædicto modo denotatur pro aliqua re permanente, ſupponere, quem intellectum habent aliqui, dico quod mutatio non eſt aliquid: quia nulla talis res eſt, & ita in generali dicta de mutatione ſint. Quid autem ſit ſentiendum de aliis ſpeciebus motus, in ſequentibus erit manifeſtum, &c.

Cap. *Quintum*.

ACTVM eſt ſupra de mutatione, nunc reſtat aliqua compendioſe de motu pertractare. Primo autem dicendum eſt quid eſt motus in generali. Secundo de primis ſpeciebus in ſpeciali. Tertio de motuum contrarietate. Circa primum diffinit Ariſtoteles motum ſecundum expoſitores tertij Phiſicorum duplici diffinitione, quarum vnam dicunt eſſe formalem, & aliam materialem, quæ tamen non differunt niſi vocaliter. Eſt autem iſta diffinitio motus; Motus eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia. Circa cuius expoſitionem primo videndum eſt de re. Secundo de modo loquendi. Quantum ad primum dico proportionabiliter, ſicut ſuperius dixi

Habetur iſta in Tex. com. 3.

Motum nõ diſtingui realiter

> ab his quę mouetur.

dixi de mutatione, ſcilicet, quod motus non eſt aliqua res ſecundum ſe totam diſtincta à rebus permanentibus. Quod oſtẽdo ſic: Si motus eſt res diſtincta a rebus permanentibus, eſt res diuiſibilis, aut indiuiſibilis, nõ indiuiſibilis ſecundũ eos, ergo diuiſibilis, ergo compoſita ex partibus. Aut ergo ex partibus ſimul exiſtentibus, & tunc motus eſt vere longus, latus, & profundas, quod non conceduntur. Vel ex partibus non ſimul exiſtentibus, ſicut ipſi concedunt, quod non poteſt dici: quia illud, quod non eſt; non poteſt eſſe pars alicuius entis. Nullum enim ens componitur ex non entibus, ergo motus non poteſt dici aliquod ens aliud à permanentibus propter talia non entia. Præterea vna pars motus præcedens non repugnat alteri parti ſequenti. Quare ergo neceſſe eſt, quod ſequente auenieute, prior corrumpatur? cum non poſſit corrumpi, nec per ablationem ſuæ cauſæ, nec per corruptionem ſui ſubiecti, nec per inductionẽ ſui contrarij. Præterea ſi motus ſit alia res, aut eſt reſpectiua, aut abſoluta ſecundum ponentes relationes diſtingui à rebus abſolutis, non poteſt dici, quod ſit aliqua res abſoluta: quia tunc, vel eſſet ſubſtãtia, vel quantitas, non ſubſtantia, manifeſtum eſt nec quantitas: quia tunc quandocunquẽ aliquid moueretur, acquireret nouam quautitatem, & perderet antiquam, quod videtur abſurdum. Neque eſt qualitas multo magis, nequè eſt res relatiua: quia ſi ſic, talis relatio habet fundamentum, & terminum, & per conſequens cum fundamentum, & terminus poſſint durare per tempus ſine omni deſtructione illorum, vel alterius, poſſet talis relatio permanere per tempus, & per conſequens verè erit res permanens potens durare per tempus poſt, patet hoc inductiuè, nam ſi corpus moueatur localiter, & motus localis ſit motus reſpectiuus, cum motus localis ſit in moto, oportet, quod ille reſpectus ſit in moto, tunc quęro de termino, aut terminus eius eſt forma, vel locus receptus in eodem moto, quod non videtur, & hoc tamen poſito, ille reſpectus poterit conſeruari nulla facta mutatione in forma, nec in moto, quod eſt impoſſibile; Aut terminus eſt agens, ſiue mouens, & adhuc poterit conſeruari propter idem. Si dicas, quod ille reſpectus habet pro termino non eſſe præcedens, vel futurum aliquod contra ſecundum ſic opinantes, reſpectus non entis non poteſt eſſe relatio realis, ergo motus non poterit aliquod reale.

Cap. Sextum.

> Motum nõ differre realiter à reb. quę mouetur.

OSTENSO quod motus non eſt alia res à rebus permanentibus; videndum eſt, quid eſt motus. Ad cuius euidentiam videndum eſt, quando aliquid mouetur. Secundo quid eſt moueri quantũ ad diffinitionem exprimentem quid nominis. Et dico quod ad hoc quod aliquid moueatur ſufficit, quod mobile continue ſine interruptione temporis, & quiete continuè partibiliter acquirat aliquid ſucceſſiuè vnum poſt aliud, vel continuè, & ſucceſſiuè, ſeu partibiliter amittat aliquid, ſicut ad hoc quod aliquid dealbetur, ſufficit quod continuè acquirat partes albedinis, & ad hoc quod moueatur localiter, ſufficit quod continuè, ſine quiete acquirat vnũ locũ poſt aliũ, & ita quod ſine quiete ſit in diuerſis locis ſucceſſiuè. Et ſi dicas quid eſt quieſcere. Dico quod quieſcere eſt permanere ſub aliquo, vel in alio, quod poteſt de nouo acquiri, vel ammitti per tempus, vel magis ad rem ſit cum verificatione contradictoriorum, non ſimul; ſed ſucceſſiuè. Vnde ſciendum eſt, quod nunquam eſt ſucceſſio, niſi propter hoc, quod ex parte rei oritur, quod contradictoria, ſi formentur, verificantur vnum poſt aliud. Tunc autem dicitur aliquid cõtinuè moueri, quandò in quolibet inſtanti verum eſt dicere quod hoc mobile eſt in loco, in quo prius non fuit,

vel

vel quod aliquid habet, quod prius non habuit, vel quod non habet illud quod prius habuit immediate. Hoc igitur poſito, omni alio circũſcripto, illud verè mouetur localiter, & tamẽ nulla res eſt hic, niſi permanẽs, quia & mobile eſt permanẽs; & quodlibet per mobile acquiſitũ eſt permanẽs; quia tamẽ mobile prius eſt in vno loco, & poſtea in alio, & poſtea adhuc in alio; & ſic continuè quouſq; perueniat ad locũ in quo manet, ideo cõtinuè mouetur, & tamẽ nulla res eſt hic, niſi permanẽs; ſed quia illę res permanẽtes nõ ſũt ſimul; ſed vna poſt aliam acquiritur: ideo verè mouetur. Conſimiliter eſt de calefaciente, quia quãdo aliquid calefit ex hoc ipſo quod calefactibile nõ accipit totum calorem ſimul; ſed partẽ poſt partẽ, ita quod in quolibet inſtãti eſt verum dicere quod illud calefactibile aliquã partẽ habet caloris, quã prius non habuit, ex hoc ipſo nulla alia re facta in ipſo, calefactibile verè calefit, & mouetur. Ex quo patet quod ad hoc, quod aliquid moueatur, nõ requiritur alia res, pręter res permanentes, & per conſequens motus nõ eſt alia res à rebus permanentibus. Iſtam autem ſententiam exprimit Philoſophus, quãdo diffinit motũ, dicens. Motus eſt actus entis in potentia, ſecundum quod in potentia; hoc eſt quando aliquid mouetur, actu aliquid habet, & eſt in potentia ad aliud ſine quiete media in loco acquirẽdo, ſicut quando mobile eſt actu in loco acquiſito, & eſt in potentia ad alium locũ, quem habebit ſine quiete media, tunc verè localiter mouetur. Et iſta diffinitio importat idem cum ſecunda, quę dicit. Motus eſt actus mobilis inquantum mobile eſt; hoc eſt, quando aliquid mouetur, mobile habet actu aliquid, & eſt mobile, hoc eſt: eſt in potentia ad habendum aliquid immediatè, ſimiliter iſtis cõcordat diffinitio Commentatoris, motus eſt acquiſitio partis poſt partem perfectionis, ad quã vadit; hoc eſt, quando aliquid mouetur, acquirit vnam partem poſt aliam, quouſq; venit ad aliam, poſt quam aliam acquirit. Et eſt notandum, quod iſta diffinitio vltima non competit niſi motui acquiſitiuo, illa autem Ariſtot. competit & motui acquiſitiuo, & deperditiuo, vt iſte ſit ſenſus, motus eſt actus &c. Inquantum eſt in potentia, vel acquirẽdo illud quod non habet, vel deperdendo illud quod habet, vnde dũ aliquid mouetur, ſemper eſt actu ſub aliquo, & in potentia ad aliud, quod immediatè acquiret: vel eſt in potentia, vt aliquid perdat immediatè, hoc eſt, vt in qualibet parte tẽporis poſterioris ſit verũ dicere, hoc mobile nõ habet illud, quod prius habuit, quãuis habeat partẽ ipſius, hoc autem eſt verũ de motu ſucceſſiuo.

Cap. Septimum.

PROPTER autem modum loquendi multę ſunt difficultates, quę mihi videntur ſecundum principia Ariſtot. de motu magis vocales, quã reales. Si enim vteremur pręciſe iſtis vocabulis mouens, motiuum mobile, moueri, & huiuſmodi, & non talibus, motus, motio, & conſimilibus, quæ ſecundum modum loquendi & opinionem multorum pro rebus permanentibus non videntur ſupponere, multæ difficultates, & dubitationes eſſent excluſæ. Nunc autem propter talia videtur, quod motus ſit alia res ſecundum ſe tota diſtincta à rebus permanentibus. Videtur enim quod motus ſit quidam fluxus; ſed res permanens non eſt fluxus; ſed per ſe ſtans, ergo &c Secundo, motus eſt ſucceſſiuus, ſed res permanens non; ſed tota ſimul. Tertio, motus eſt velox, vel tardus; ſed res permanens non. Quarto, res permanens poteſt eſſe ſine motu, ſed non ſine re permanente Quinto, motus eſt quantitas alia à quantitate rei permanẽtis: quia non habet quantitatẽ permanentem; ſed tantum ſucceſſiuam. Iſtis tamen non obſtantibus, dicendum eſt, quod non differt motus à re mota ſecundũ intentionem Ariſtot. Eſt autẽ ſciendũ, ſicut dictũ eſt de mutatione, talia vocabula, motus, mutatio, & conſimilia magis inuenta ſunt propter venuſtatem eloquij, quã propter neceſ-

Obiectiones contra propriã ſententiam.

neceſſitatem: quia ſine illis, pro quibus communiter vtimur, per alia poſſemus omnes conceptus noſtros ſufficienter exprimere. Et ideo propoſitiones, in quibus ponitur aliquod tale vocabulum, motùs, mutatio, ſucceſſiuum, ſucceſſio, & huiuſmodi, reſoluendæ ſunt in propoſitiones, in quibus ponuntur talia vocabula, mouetur, motum, ſuccedit, ſuccedens, & huiuſmodi, & ſecundū eas eſt de propoſitionibus propoſitis videndū. Patet ergo per hoc ad argumēta. Ad primū, quando dicitur quod motus eſt quidam fluxus, dico quod illa habet duplicem intellectū, vnū ſecundū quod motus ſit vna res diſtincta ab omni re permanēte, quę cōtinuè fluat à non eſſe ad eſſe, vel ēconuerſo, ita quod ſemper vna pars cōtinuè corrūpatur, & alia continuè in rerū natura ſuccedat. Et iſte eſt modus famoſus intelligēdi motū eſſe fluxū, de quo dicitur à Cōmen. quod eſt famoſior, non verus, & quod eſt vnus alius verus, & iſtū intellectū puto eſſe ad mentē Philoſophi, & Cōmen. Alio modo poteſt intelligi propoſitio iſta, ſcilicet quando aliquid mouetur, continuè fluit; hoc eſt, continuè aliquid acquirit, vel deperdit, ſicut quādo aliquid mouetur localiter, cōtinuè fluit de vno loco ad aliū, non propter aliquā rem, pręter mobile, & locū, quē acquirit; ſed quia ſēper eſt in loco alio, & alio, nulla alia re aduenięte ſibi, quamuis frequenter accidat, quod ſibi aliquę qualitates accidant, ſeu adueniāt. Similiter etiam poteſt dici, quamuis non propriè: quod quando calor in aliquo continuè augetur, quod illud calidū continuè fluat; acquirendo continuè nouum gradū caloris., ſicut dicimus quod tantum fluit de vno gradu ad alium, non quidem priorē perdendo; ſed aliū acquirēdo, & ſic tales propoſitiones. in quibus ponuntur talia vocabula, fluxus, tranſitus, & huiuſmodi reſoluendæ ſunt in propoſitiones, in quibus ponuntur talia vocabula, fluit, tranſit, currit: & huiuſmodi, iuxta eas videndum eſt quid ſit dicendum de aliis. Ad ſecundū dico quod ſenſus

Dilutio obiectorū.

Com. 4.

iſtius propoſitionis, motus eſt ſucceſſiuus eſt, quando aliquid mouetur, non acquirit, vel deperdit ſimul; ſed ſucceſſiuè. Et ideo non eſt imaginandum quod motus ſit quædam res ſucceſſiua totaliter diſtincta à re permanente; ſed quando aliquid mouetur, & non acquirit totum ſimul, ſicut motus localis dicitur ſucceſſiuus: quia mobile non eſt ſimul in omnibus illis locis; ſed prius eſt in vno loco, quam in alio. Et ſi dicas quid eſt illud prius; dico quod aduerbium temporis, vel ordinis, nec poteſt aliter deſcribi vocabulum. Sed fortè quæretur, quid eſt iſta prioritas, dico quod iſta prioritas eſt vocabulum fictum ad hoc aduerbium, prius, magis propter ornatum loquendi inuentum, quam propter neceſſitatem, ideo reſoluendum eſt in ſuum aduerbium, ex quo formatur, & eſt propriè exponendum, quia propriè nō habet quid nominis, ſed ſignificat vnum eſſe ante aliud in aliquo, vel ſub aliquo. Et nec eſt aliter reſpondendum ad tales queſtiones, quam ad tales homo nō eſt aſinus, vel nemo eſt chimera, illud, non, quid erit? quia non eſt reſpondendum, niſi quod hoc eſt aduerbiū, ſcilicet non, & hoc eſt nomen ſecundū, nemo, nec eſt imaginandum, quod ly non, vel ly nemo ſignificet aliam rem diſtinctam ab aliis rebus ſignificatis per alia nomina poſitiua. Sed non eſt aduerbium negandi cuius ſignificatio iſto modo quo ſignificat magis ex vſu loquendi, auditu acquiritur, quam doctrina, ſic eſt de aliis aduerbiis, quę ſignificāt idem cum ſuis verbis, cum conuenienter adiunguntur, nec alias res ſignificant; Vnde quando dicitur, iſte ſapienter regit ſubditos ſuos, hoc aduerbium ſapienter non ſignificat aliam rem, niſi ſignificata per alia vocabula. Et ideo hoc eſt principium multorum errorum in philoſophia, quod ſēper diſtincto vocabulo correſpondeat diſtinctum ſignificatum, ita quod tanta ſit diſtinctio inter ſignificata, quanta eſt nominum, vel vocabulorum ſignificātiū, etiam

Vnde pullulant errores.

etiam quando illa nomina, vel vocabula non ſunt ſinonima, ſicut ſi aliquis crederet, quod alia res ſignificatur per caſum rectum, quam per obliquum, & per numerú ſingularem, quam per pluralem, & per coniúctiones, & prępoſitiones, & aduerbia, quæ omnia ſunt abſurda, & falſa. Oportet auté ſcire, quod ſicut ſub bono intellectu cóceditur, quod motus eſt ſucceſſiuus, ſic ſub bono intellectu cócedendú eſt, quod motus nó eſt res permanés: quia per iſtam propoſitionem datur intelligi iſta, quod quando aliquid mouetur, non acquirit, vel perdit totum ſimul; ſed ſucceſſiuè, ſcilicet vnum poſt aliud. Ad tertium dico, quod per iſtam, motus eſt velox, vel tardus: datur intelligi iſta, quando aliquid mouetur tardè, vel velociter mouetur: hoc eſt, in paruo tempore acquirit multum, vel paruú: talis auté intellectus non habetur ab antiquis de iſta propoſitione res permanés eſt velox, vel tarda. Ad quartum dico, quod res permanens poteſt eſſe ſine motu: quia poteſt non moueri, vnde ſicut iſta conceditur, Sortes poteſt exiſtere ſine albedine, & cum hoc ſtat, quod Sortes verè eſt albus, ita iſtæ ſtant ſimul, res permanés poteſt eſſe ſine motu, & tamen motus non eſt alia res à re permanente. Sed contra, quando aliquid poteſt ſeparari ab aliquo, diſtinguitur ab illo; ſed permanens poteſt eſſe ſine motu, ergo &c. Dico quod in tali modo arguendi eſt fallacia figurę dictionis, ſicut alibi viſum eſt: quia cómutatur hoc aliquid in quale quid, ſicut quando arguitur, quandocumq; aliquid poteſt exiſtere ſine reliquo, illa diſtinguũtur; ſed Sortes poteſt exiſtere ſine muſico, ergo muſicum diſtinguitur à Sorte. Ad quintum dico, quod hoc nomen motus non eſt per ſe in genere, eo quod ſignificat diuerſas res diuerſorum generũ, tamen omnis res ſignificata per motum, ſcilicet per hoc nomen, motus, eſt per ſe in genere. Ad ſextum dico, quod motus non habet quantitatem aliquam diſtinctá ſecundum ſe totam à quantitate rei permanentis, aliquid tamen intelligitur per hoc nomen, quantum, magnum, paruum, & huiuſmodi, quando verificatur de motu, ſic dicendo, motus eſt magnus, paruus &c. Et quando dicitur de aliis, ſicut ex præcedentibus, & ſequentibus apparebit. Ex prædictis patet, quod motus eſt quædam ſucceſſio: hoc eſt, quando aliquid mouetur prius acquirit, vel deperdit vnum, quam aliud. Item patet quomodo motus habet prius, & poſterius, hoc eſt, quando aliquid mouetur, prius acquirit vnam partem, & poſterius aliam. Patet etiam quomodo concludi poteſt, quod motus habet partes, quia ſcilicet, quando aliquid mouetur, prius acquirit vnam partem, poſterius verò aliam, vel deperdit. Nec aliud intellexerunt antiqui dicentes motum componi ex partibus, vel habere partes. Similiter, quando dicunt, quod nulla pars motus eſt; ſed tantum mutatúm eſſe. non intendunt plures, niſi quando aliquid mouetur, non acquirit de nouo illud, quod prius acquiſitum eſt: ſed tantum illud, quod modo habetur, quod prius non habebatur, nec etiam habet illud, quod habebat; ſed quod hoc modo primo habet illud, quod primo acquirit. Sed quando dicitur, quod motus habet terminum à quo, & terminum ad quem, non eſt imaginandum, quod ille motus ſit aliqua res totaliter diſtincta à permanentibus, cuius termini ſint aliæ duę res; ſed ſic eſt intelligendum, quod quando aliquid mouetur, aliquid perdit, vel acquirit. Et ſicut dictum eſt de talibus propoſitionibus conſimiliter eſt dicendum de alijs. Propter quod tales propoſitiones auctorum intelligendę ſunt ad mentem ipſorum, & non ſicut ſonant verba: quia ſæpe verba aliud ſonant, & aliud ſignificant.

Cap. Octauum.

Sermo de ſpeciebus motus.

DICTO de motu in generali, dicendum eſt de primis ſpeciebus motus. Eſt autem ſciendum, quod ſicut

dictum eſt ſupra primæ ſpecies motus accipiuntur ſecundum prædicamenta, ad quę dicitur motus eſſe, quæ ponuntur eſſe quatuor, ſcilicet ſubſtátia, quátitas, qualitas, & vbi, quod non eſt intelligendum, quod motus ſit exiſtens præciſe ad illas res, quæ importantur per iſta quatuor prędicamenta, ſic quod nó ad res quæ importantur per alia prędicamenta; ſed ideo dicitur ad iſta quatuor prædicamenta tátum eſſe motus, quia nunquam contingit prædicabilia iſtorum prædicamentorum de aliquo verificari, niſi illud moueatur; largè accipiendo motum. Non ſic de prędicabilibus aliorum prædicamentorum, quamuis ad res importatas per illa prædicamenta alia, vere ſit motus. Vnde ad rem importatam per hoc nomé ſimile; verè eſt motus, & tamen contingit aliquid de nouo eſſe ſimile; quamuis non moueatur, & ideo dicitur, quod ad ſimilitudiné non eſt motus, hoc eſt, aliquid poteſt eſſe verè ſimile, quamuis non moueatur, & hoc ſiue mutari accipiatur largè, ſiue ſtrictè. Non ſic autem eſt de aliis. Non enim aliquid de nouo eſt ſubſtantia, niſi moueatur, largè accipiendo ly moueri. Vnde prima ſpecies motus largè ſumpti poteſt poni in genere ſubſtantiæ, cuius non habemus nomen impoſitum, poteſt tamen vocari tranſmutatio ſubſtantialis, cuius ſunt duæ ſpecies, generatio, ſcilicet, & corruptio; quamuis etiá iſta nomina generatio, & corruptio, tranſmutabilibus aliis applicentur: ſæpè tamen vtendum eſt iſtis, ſecundum quod ſunt propria tranſmutationi naturali. Eſt autem generatio, quando in materia inducitur de nouo forma ſubſtantialis. Et eſt corruptio, quádo forma ſubſtátialis deſinit eſſe in materia. De iſta tamé generatione, & corruptione tractatú eſt prius vbi tractatur de principiis rerum generabilium, & corruptibilium. Sunt autem hic aliqua breuia pertractáda, ſiue aduertenda. Vnde ſciendum eſt, quod generatio non eſt motus ſucceſſiuus, ſed tantum mutatio ſubita. Cuius ratio eſt, quia quáuis vna pars materiæ prius poſſit recipere partem formæ, & alia pars materiæ, aliam partem formę; & ſic poteſt eſſe ſucceſſio; tamen eadem pars materiæ non poteſt ſucceſſiuè recipere partem formæ poſt aliam partem formæ, quod tamen requiritur ad motum ſucceſſiuum: quia ad hoc quod aliquid moueatur, requiritur, quod quod mouetur, acquirat vnum poſt aliud, vel perdat vnum poſt aliud. Cum ergo tota materia eadem eandé formam, quam recipit ſimul recipiat, ideo pars illa materiæ in recipiendo formam non mouetur ſucceſſiuè, ideo generatio non eſt motus.

Quod generatio ſit ſubita.

Et tamen rationes Philoſophi non probant de mutatione ſubſtantiæ tantum, ſed vniuerſaliter de omni generatione, & corruptione: quia nulla generatio ſiue ſit ſubſtantiæ, ſiue accidentis, eſt motus, nec aliqua corruptio eſt motus. Eſt autem prima ratio Philoſophi iſta. Quod non eſt, non mouetur, ſed quod generatur, non eſt, ergo quod generatur, non mouetur, & per conſequens generatio non eſt motus. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, quod Philoſophus diſtinguit tres modos mutationis: quia omne quod mutatur, aut mutatur, à ſubiecto in ſubiectum; aut à non ſubiecto in ſubiectú, aut à ſubiecto in nó ſubiectum. Mutatio quæ eſt à non ſubiecto in ſubiectum, vocatur generatio, quæ eſt mutatio ſecundum contradictionem, non quidem quod contradictoria conueniant in aliquo, quod ſit mutatio talis; ſed quia primo verum eſt dicere de tali mutatione quod non eſt, & poſtea eſt. & contradictoria de iſto verificantur ſucceſſiuè. Ex quo patet quod ſecundum Philoſophum mutatio accipitur dupliciter, vno modo pro tranſmutatione alicuius quod recipit, vel amittit aliquid, quod prius habebat, vel quo carebat. Et ſic totum, quod generatur, non mutatur, quamuis generetur. Alio modo accipitur mutatio pro productione, vel deſtructione, & ſic quod generatur, mutatur à non ſubiecto in ſubiectum, hoc eſt primo non eſt, & poſtea eſt.

In quinto Phyſic. T. com. 7.

Ex quibus patet, quod quādo Philoſophus dicit, quod illud, quod generatur, non eſt, non intendit quod illud tūc non eſt, quādo materia, vel ſubiectū recipit formam; ſed intendit, quod ante quam generatio ſit completa, ita quod nihil expectatur, quia futurum recipiendū, non eſt. Ex quo patet, quod illud, quod generatur, non mouetur: quia illud, quod mouetur, quando expectatur, aliquod futurum eſt; ſed illud quod generatur illo tempore, vel illo inſtanti quo expectatur aliquod futurum, non eſt, ergo illud, quod generatur, non mouetur, & per conſequens generatio non eſt motus. Vnde ratio iſta ſic poteſt declarari, ſi illud, quod generatur, mouetur, aut mouetur, quando cōpletè generatur: ita quod nihil reſtat futurum, & hoc eſſe non poteſt, quia quod mouetur expectatur ad recipiendum, vel ad admittendum. Aut igitur quod generatur mouetur ante generationem completam, & dum aliquid eſt futurum, & hoc non poteſt dari, quia tunc illud, quod generatur, non eſt; ſed quod mouetur, eſt, ergo quod generatur, non mouetur, & ita generatio nō eſt motus. Per idem probat Ariſt. quod generatio non eſt quies: quia quod generatur non eſt; ſed quod nō eſt, nō quieſcit, ergo quod generatur non quieſcit, quod verum eſt antequā generatio ſit completa: quia tunc non eſt illud, quod generatur. Alia ratio Philoſ. eſt iſta, quod mouetur, eſt in loco; ſed quod generatur, non eſt in loco, ergo quod generatur, nō mouetur. Et eſt exponenda ſicut præcedens. Ex quibus cōcludit, quod corruptio nō eſt motus: quia ex quo generatio non eſt motus, & motui contrariatur motus, vel quies, ſequitur quod corruptio, quæ contrariatur generationi, non eſt motus. Eſt autem, aduertendū quod, quamuis, quando generatur accidens ſecundum quod eſt motus, tunc ſubiectum illius accidentis mouetur; tamen illud quod generatur, non mouetur, ſed ſubiectum illius, quod generatur mouetur verè. Vnde quando calor augmentatur in ligno, quamuis lignum verè moueatur; tamē calor, qui generatur, ſiue aggregatum ex ligno, & calore non mouetur. Et ita quod generatur, non mouetur, & per conſequens generatio nō eſt motus. Et ideo, quando Philoſophus dicit iſtam, generatio non eſt motus, intelligit iſtam, quod generatur, nō mouetur. Ex quo patet, quod illud ſubiectū quod generatur in tēpore generatur: quia vna pars generatur continuè ante aliam partem, & tamen, quod generatur non mouetur: quia non eſt ante quam generatio ipſius ſit completa, quamuis generatio alterius poſſet ſequi; ſed quando forma ſubſtātialis fit in materia, nec illud, quod generatur, mouetur, propter rationes Philoſ. ſuperius poſitas, nec ipſum ſubiectum recipiēs formam mouetur propter rationem Philoſ. in principio poſitam, & ita nulla forma ſubſtantialis fit in eadem parte materię in tempore, ſed in inſtanti. Ex prædictis patet, quod generatio, & corruptio ſunt motus largè accipiendo motum, ſed non ſunt motus ſtrictè accipiendo hoc vocabulum, motus.

5. Phiſic. T. com. 84.

Cap. Nonum.

DICTVM eſt de motu in genere ſubſtantię ſumendo largè vocabulum, nunc tractandum eſt de alia ſpecie motus, ſcilicet de motu locali. De quo videndum eſt, quibus nominibus dicitur motus localis, & quid acquiritur per motum localem, & quibus conuenit motus localis. Diuiditur autem motus localis in motum rectum, circularem, & mixtū. Motus rectus eſt quando mobile ſecundum lineam rectam mouetur ſurſum, vel deorſum, & ſecūdum alias differētias loci reſpectu corporis cęleſtis. Quando autem ſic mouetur totum mutat locum, ita quod totum eſt in alio, & alio loco, tam in fine motus, quam in principio, vel in medio. Motus autem circularis eſt quando mobile ſemper manet in eodem loco ſecundum totum, quamuis partes ſuæ mutent locum, & tale motum non poſſet eſſe niſi mobile ſphericum, vel ouale.

Primo de motu locali.

Prima diuiſio localis motus.

ouale. Quia ſi aliquis angulus eſſet in mobili, tunc totum mobile, quando moueretur, vel mutaretur, mutaret locum: ita quod totum eſſet ſucceſſiuè in diuerſis locis totalibus, quamuis aliqua pars loci, ſiue propriè dicti, ſiue impropriè; dicti non varietur. Motus autem mixtus eſt quando, nec eſt rectus, nec circularis, hoc eſt quando mobile non mouetur ſecũdum lineam rectã, nec sẽper manet in eodem loco; ſed tortuosè mouetur, vt quãdo angulare aliquod, vel voluitur, vel vertitur. Eſt autẽ inter iſtos motus differẽtia, quia motus rectus, vel mixtus poteſt cõpetere corpori cuiuſcunq; figuræ. Quia tã corpus angulare, quam triangulare poteſt moueri motu recto, & motu mixto. Sed motus circularis propriè loquendo, non poteſt competere niſi corpori ſphærico, ſicut dictũ eſt. Aliter ſtrictè vtitur Philoſophus iſtis vocabulis. motus rectus, circularis, & mixtus, in libro de Cælo, & Mũdo, quod non obſtat prædictis, cum vocabula valdè ſumantur æquiuocè. Vnde, & iſta poteſt eſſe ſecunda diuiſio motus localis, quia motus localis, quidam eſt ſimplex, quidam compoſitus. Simplex diuiditur in motum rectũ, qui eſt à medio, & ad medium, & motũ circularem, qui eſt circa medium. Motus autem compoſitus, ſiue mixtus eſt alicuius compoſiti ex virtute alicuius elementi prædominantis. De iſtis membris, & deinceps patebit inferius. Tertia diſtinctio, motus localis poteſt eſſe: quia motus localis quidam eſt naturalis, quidam violentus, & poteſt addi tertium membrum, quod quidam eſt mixtus ex iſtis. Motus naturalis eſt, quod eſt à principio intrinſeco, non tamen paſſiuo; ſed actiuo, ſicut motus grauis deorſum, & motus leuis ſurſum, de quibus patebit inferius. Motus violentus eſt, qui eſt contra inclinationẽ moti, ſicut quando graue mouetur ſurſum, & leue deorſum. Motus verò mixtus poteſt dici, qui eſt à principio intrinſeco, & extrinſeco; ſicut lignum paruũ ſi alligetur ſaxo, & moueatur deorſum, tunc mouetur ſecundum inclinationem ligni, & etiam à ſaxo, & ideo velocius mouetur, quam ſi moueretur ſibi dimiſſum. Nec dicitur iſte motus mixtus, vel compoſitus propter concurſum duorum motuum; ſed illud vocabulum mixtũ additum motui ponitur loco illius orationis, lignum mouetur ab intrinſeco, & extrinſeco, & tales modi loquendi ſunt preſciendi volentibus addiſcere aliquam ſcientiã, alioquin neſcientes ſanum intellectum taliũ modorũ loquẽdi in difficultates, & errores varios prolabuntur. Per hũc modum poteſt dici, quod motus progreſſiuus animalis, eſt motus mixtus, non quia eſt ab intrinſeco, & extrinſeco; ſed quia eſt ab aliquo, quod non eſt de eſſentia moti; ſed ſaltem partialiter, quod eſt contra ſuam inclinationem. Nam corpus animalis diſtinguitur ab anima, quæ non eſt de eſsẽtia illius corporis, quãuis forma eius, & moueat illud, quod eſt altera pars totius animalis cõtra inclinationẽ ipſius. Nec oportet ponere aliquem motum localem, qui nec ſit naturalis, nec violentus, nec mixtus: quia omnis motus localis, quo aliquid poteſt moueri, vel eſt ſecundum inclinationem moti, vel contra inclinationem eius. Motus autem violentus diuiditur in ſeptimo huius in impulſionem, tractionem, vectionẽ, vertiginem. Pulſio eſt communis impulſioni, & expulſioni. Impulſio eſt quando pellens coniungitur mobili, quam diù ipſum mobile mouetur, ita quod ceſſante mouente, quieſcit motum. Expulſio eſt quãdo pellens non cõiungitur mobili continuè dum mouetur, ſicut eſt in proijciente lapidẽ à ſe. Tractio eſt quando mouens mouet aliud ad ſe, vel ad alterum trahit. Vectio eſt quando aliquid adhęrens alteri mouetur ad motum ipſius. Vertigo eſt quando aliquod vertitur, & eſt ibi pulſus, & tractus. Eſt autem notandum quod pulſio, & tractio nõ sũt motus violenti, ſcilicet contra inclinationem omnino moti; ſed etiam ſunt motus mixti: quia in pulſu, & tractu poſſibile eſt, quod pulſum, & tractum moueantur ſecundum inclinationem, & violenter. Tũc enim

T. com. 5. primi de Cælo.

Secunda diuiſio.

T. com. 10.

enim tractum mouetur velocius, quam ſi non eſſet extrinſecus trahens, vel pellens. Sicut, ſi aliquis exiſtens ſurſum proijceret lapidem deorſum, iſte lapis velocius mouetur, quã ſi dimitteretur ſibi ipſi; ſimiliter, & ſi traheretur. Et pro tanto dicit Philoſ. quod etiam tunc violenter mouetur. Sed magis largè accipitur hoc vocabulum, violentus, in ſeptimo huius quam in primo Ethi. vbi dicitur quod violentum eſt, cuius principiũ eſt ab extra nõ conferente vim paſſo, in tali enim motu confert vim; tam paſſum, quam exterius trahẽ, ſvel pellẽs. Alia diuiſio poteſt poni, quod quidam eſt motus naturalis localis, & quidam progreſſiuus animalis, & de iſto dicetur inferius.

3. Cap.

Cap. Decimum.

Sermo de re acquiſita per motum localem.

VISIS diuiſionibus motus localis, videndum eſt quid acquiratur per motum localem. Et primo dicendum eſt de illis, quę mouentur in aliquo continẽte, ſicut ſunt omnia, quæ mouentur in motu recto, qualia ſunt omnia, quæ mouentur infra ſphęram actiuorum, & paſſiuorum, & etiam omnia, quæ mouentur citra ſphęram vltimam alias continentem. De quibus dico quod talia mota localiter non acquirunt aliquam rem ſibi inhærentem, quomodo forma ſubſtantialis eſt in materia, & calor in igne; ſed tantum acquirũt locum ambientem; ſed iſta, quæ mouentur motu recto, acquirunt aliquẽ locum totalem. Corpora autem ſphærica, ſi mouentur circulariter, acquirunt alium locum partium, quamuis locus totalis ſit vnus, & idem. Præterea contra opinionem Philoſ. eſt, quod quando aliquid mouetur, quod aliqua res ſibi inhęreat, & per hoc aliquid acquiratur ſibi: non enim quando aliquid mouetur localiter ad aliud, aliquid fit in moto, ſed motum fit in aliquo puta in loco, vbi prius non erat. Et ſi dicas, ſi motum nihil habeat, quod prius non habebat, ergo non mouetur. Dico quod habet aliquid, quod prius non habebat, non tamen illud habet ſicut rem inherentẽ ſibi ſubiectiuè; ſed ſicut locũ. Et ſi dicatur vlterius, quod contradictoria non verificantur de aliquo ſucceſſiuè, niſi propter aliquam deſtructionem alicuius, vel productionem, ergo ſi nihil nouum acquiritur nec aliquid deſtruitur, non mouetur. Præterea ſi omnes res nunc ſunt, quæ prius erant, & non alię non eſt maior ratio, quod hoc ſit in hoc loco nunc, quam prius. Dico ad primum, quod contradictoria poſſunt ſucceſſiuè verificari ſine omni deſtructione, & productione cuiuſcunq; rei, per hoc ſolum, quod mobile mutat locum, & vadit de vno loco ad alium locum. Vnde eo ipſo, quod corpus ſine omni alia re eſt in hoc loco, & prius non erat in hoc loco, poſſunt verificari contradictoria. Et ſi quæras, quid requiritur ad hoc, quod corpus ſit in hoc loco, dico quod requiritur ad hoc, quod corpus ſit, & quod ille locus ſit, & quod nõ ſit aliquod medium inter hoc corpus, & hunc locum, quod fit quandoq; per vnam vim mouentem, & quandoq; per aliam. Ex hoc patet ad ſecundum, quod quamuis omnis res ſit quæ prius, & non alię: tamen nunc eſt in hoc loco, quia mouens mouet ipſum ad hunc locum, & prius non, ſic ergo dico quod per motum localem acquiritur ſolus locus, & non aliquod aliud, propter quod, & motus localis dicitur. Sed contra dicens, terminus ad quem eſt motus ponitur in Prędicamento vbi, ergo non acquiritur præcisè locus, cum ſit in Prędicamento quantitatis. Dico, quod eo ipſo quod eſt in genere vbi, non acquiritur per ipſum, niſi locus, quia illa, quæ ſunt in Prędicamento vbi, ſignificãt loca, ſicut patet inductiuè: nec eſt imaginandum ſecundum doctrinam Philoſ. quod quando aliquid eſt in loco, quod in corpore locato ſit aliqua res derelicta in eo diſtincta à loco, ſicut quidam imaginantur, quia eadem ratione ex locato derelinqueretur talis res in locante, & eſſent ibi duo Prædicamenta, quod non eſt verum. Verum ad hoc

Inſtantia contra propriam ſententiam.

Solutio inſtantię.

hoc

hoc quod corpus ſit in loco aliquo, nihil plus requiritur, niſi quod corpus ſit, & locus ſit; & non ſit aliquod medium inter corpus illud, & locum, ergo fruſtra ponitur talis res derelicta in locato. Patet ergo ex dictis, quod quando aliquid mouetur motu recto, vel mixto: accipiendo iſta vocabula, ſicut accipiuntur in prima diuiſione motus; locus acquiritur diſtinctus à priori loco, in quo mobile erat prius.

Quomodo ſphęra mouet locum.

Quando verò aliquid mouetur motu circulari: tunc eſt in eodem loco continuè, in quo prius erat, tamen alia pars loci correſpondet continuè alteri parti moti; ſed totũ motũ ſemper eſt in eodem loco, & per conſequens totum motum nihil de nouo acquirit; ſed quælibet pars acquirit locum continuè alium à priori loco, in quo prius erat.

Quomodo vltima ſphera moueatur localiter.

Vltimum aut mobile, quod non continetur ſub aliquo corpore, quando mouetur, nihil nec ſecundum ſe totum, nec ſecundum partes acquirit: quia tamen aliquid acquireret ſi eſſet aliquod corpus ambiens, & etiam quia ſuę partes aliter reſpiciunt aliqua quieſcentia in loco, & plus, & minus diſtant ab alijs quieſcentibus, ideo verè mouetur localiter, non quia aliud acquirat; ſed quia inter ſuas partes, & alia corpora quieſcentia eſt alia, & alia continuè diſtantia localis. Tunc ſi dicatur, quod ſicut per alterationem ſemper acquiritur, vel deperditur aliqua qualitas, ſic per motum localem acquiritur, vel deperditur locus aliquis. Dico quod quantum ad hoc nõ eſt ſimile, quia nihil eſt alterabile, niſi quod poteſt recipere, vel deperdere aliquam qualitatem, ſed bene aliquid extat mobile localiter, quáuis nõ poſſit eſſe in loco propriè accipiendo locum; ſed eſt locus aliorũ, & locus diuerſimodè reſpicit illa, quorum eſt locus; ideo verè mouetur localiter.

Cap. Vndecimum.

POSSVNT autem moueri omnia corpora localiter, & de corporibus cęleſtibus manifeſtum eſt ſecundum opinionem Philoſophorum: quia quodlibet corpus cęleſte mouetur circulariter. Iſta autem corpora inferiora moueri poſſunt, niſi fortè impediantur propter defectum mouentis. Sicut ſi aliqua pars terrę circa centrum propter defectum mouentis, quia ſi ſibi nullum mouens debitè approximatur, non mouetur, nec poteſt moueri, quia nunquam poteſt poni extra locum ſuum naturalem, & per conſequens, nunquam poteſt moueri, nec naturaliter, nec violenter. Cætera autẽ corpora corruptibilia, ſiue partes eſſentiales, cuiuſmodi ſunt materia, & forma, ſiue partes integrales, cuiuſmodi ſunt partes integrales quorumcunquè corporum, ſiue ſint qualitates inhærentes ſubiectis, verè moueri poſſunt localiter quamuis aliqua moueantur per ſe, & aliqua non moueantur; nec per aliquam potentiam moueri poſſunt niſi ad motum aliorum. Quia motis nobis mouentur omnia, quæ ſunt in nobis, quod verum eſt de motu locali: quamuis de alteratione non habeat veritatem: quia quocunquè moto localiter omnia quę ſunt in ipſo mouentur localiter; ſed aliquo alterato non oportet omnia, quæ ſunt in ipſa, alterari. Et eſt ratio diuerſitatis, quia ſi aliquid ſit in loco, omnia quæ ſunt in ipſo, ſunt in loco, & quia iſta non poſſunt ſeparari ab illo, in quo ſunt ipſo mutante locum neceſſe eſt, & alia mutare loca, & per conſequens mouentur localiter. Sed quamuis aliquod ſubiectum ſit receptiuum qualitatis, non tamen omnia quę ſunt in ipſo receptiua ſunt illius qualitatis, & ideo alterato principio non oportet alia alterari.

Pulcrę dubitationis pulcra ſolutio.

Cap. Duodecimum.

Sermo de motu in quantitate Augumentatio dupliciter dicitur.

NON ſolum ponitur motus ad vbi; ſed etiã motus ad quantitatem, qui vocatur augumẽtatio, & diminutio, & nõ eſt aliquod nomen commune illis. Sed in primis eſt ſciendum, quod augumentatio

eſt duplex,ſicu',& diminutio. Nam quędam eſt augumẽtatio, quæ eſt per aduentum alicuius ſubſtãtię, & iſta ſolum conuenit animatis, ſecundum quod videmus animata creſcere per aduentum materię facientis per ſe vnum cum materia præexiſtente, cum etiam aduenit noua forma. Alia dicitur augumẽtatio ſine aduẽtu ſubſtantię; ſed ſolum per hoc, quod aliquod mobile extẽditur nunc magis, quam prius & tunc eſt maioris quãtitatis. Et iſta augmentatio non eſt, niſi rarefactio, & conuenit, tàm animatis, quàm inanimatis. Et eodem modo diminutio, quędam eſt per receſſum alicuius partis ſubſtantię, quędã ſine omni receſſu partis ſubſtãtię; ſed per maiorem coartationẽ partium moti, quæ vocatur condenſatio. Iſta diſtinctione præuia, videndum eſt de vtraq; augumẽtatione. Et primo de ea, quę eſt rarefactio, de qua dico, quod ſecundum intentionẽ Phil. per talem augumẽtationem non acquiruntur aliquę res, nec aliqua quãtitas, niſi locus tantum, hoc eſt, quando aliquis ſic augetur, vel rarefit, non acquiritur moto, niſi locus tantum, hoc eſt, quando aliquid augetur, illud rarefit ſine aduentu rei inhęrentis; ſed partes moti dilatãtur, & extenduntur, & fiunt magis diſtãtes, & occupãtes maiorem locum, quam prius, & per conſequens maiorem locum acquirunt: quia fiunt in maiori loco, ſicut ſi terra vnius pugilli rarefiat ad quantitatem duorum pugillorum, non tamen deſerẽdo locum priorem; ſed acquirendo ſecum aliũ maiorem locum habebit.

Obiectio.

Sed contra ſi aliquid rarefit, & nõ acquiritur niſi locus, augumẽtatio iſta non differret à motu locali. Item ſi illa ſit augumentatio, & non eſt ad quantitatem: quia nulla quantitas acquiritur, nec ad qualitatem, ideo illa non magis eſt ad quantitatẽ, quam ad qualitatem: quia non erit plus quantitatis, quam qualitatis. Circa talium rationum ſolutionem, & ſimilium: quia iſtis ſolutis alia ſoluentur, videndum eſt, quid ſit quãtitas; Secundo quomodo augumẽtatio eſt ad quantitatem. Tertio quomodo iſte motus diſtinguitur à motu locali, ex quibus patebit ſolutio rationum.

Quid ſit quantitas.

Quantum ad primum dico, quod ſecundum intẽtionem Phil. quantitas nõ eſt res diſtincta à ſubſtantia, & qualitate, ita quod non eſt aliqua res media inter ſubſtãtiam, & qualitatem, quæ ſit ſubiectiuè in ſubſtãtia, ſicut multi moderni ponunt, & falsò imaginantur, & quod in ſubſtãtia eſt quædam res media inter ſubſtantiam, & qualitatẽ, vnde dicunt, quod color eſt in ſuperficie, ſicut in ſubiecto immediato, & in ſubſtãtia tanquam in ſubiecto mediato.

Quod quãtitas nõ diſtinguatur à ſubſtantia. vel qualitate.

Quod autem non ſit talis res media omnimodo per rarefactionis naturam, nam ſi quãdo aliquid rarefit aliqua noua quantitas acquiritur, quęro: aut tota quãtitas pręcedens corrũpitur, aut tota manet, aut vna pars manet, & alia non. Sed ſi nullũ iſtorũ poteſt dici, ſequitur quod nulla noua quãtitas acquiritur, ergo cũ rarefactione poteſt ſtare, quod noua nõ acquiratur. Quod autem tota pręcedens non manet, ſi noua quantitas acquiritur, oſtendo: quia ſi manet, aut manet in eodem ſubiecto, in quo prius, & tunc duę quãtitates eſſent in eodẽ ſubiecto, vel vna migrauit de ſubiecto in ſubiectum, quorum vtrunq; eſt impoſſibile apud Ariſt. Quod autem tota nõ corrupatur patet. Primo: quia ſi ſic, quãdocunq; aliquid rareſieret, partes infinitæ ſecundũ ſe totas diſtinctę eſſẽt generatæ, & corruptę: quia ex quo ſunt infinita inſtantia in quolibet illorũ erit noua quãtitas generata, & pręcedens corrupta. Secundo, quia non apparet aliquod agẽs, quod poteſt quantitatem præcedentem deſtruere, & ſequentem generare, quia ex quo ſunt eiuſdem rationis, idem non poteſt eſſe corruptiuum vnius, & productiuum eiuſdẽ rationis naturaliter. Tertio quia ſi ſic, cum accidẽs corrumpatur ad corruptionem ſui ſubiecti imediati; aliter migraret de ſubiecto in ſubiectũ, ſequeretur quod etiam omnes qualitates rarefacti corrumperentur: & continuè nouæ generarentur, cũ tamen nullũ agẽs poſſit dari, quod poſſet tales qualitates gene-

generare. Verbi gratia ſi aer rareſiat, oportet ſecundú iſta, quod tota quantitas ſua corrúpatur, & per conſequens corrumperentur omnes qualitates ſuę reales, & per conſequens ſi poſtea habet conſimiles qualitates oportet quod cauſétur de nouo, maximè ſi eſſet cauſa ſuú aliarú qualitatum non conueniens ſuæ naturæ, & non ſit aliquod agens approximatú, quod natum ſit cauſare tales qualitates, patet ergo quod non tota quantitas corrumpatur. Quod autem nó poſſit dici, quod vna pars corrumpatur, & alia pręcedens manet, patet. Primo quia non eſt maior ratio, quod vna pars corrumpatur, quam alia. Secundo, quia hoc dato, illa pars, cuius quantitas manet, non eſſet rarefacta, niſi accidés migraret de ſubiecto in ſubiectú, vel ponerentur duæ quantitates in eadé parte ſubiecti. Tertio quia tunc aliquæ qualitates, ſcilicet qualitates partis, cuius quantitas corrúpitur, corrumperentur, & nouæ generarentur. Sic ergo dico ſecundú intentionem Philoſophi, quod quando aliquid rare fit nulla noua quantitas acquiritur, nec pręcedens corrumpitur, ſed illa eadem, quę prius fuit, manet; ſed tamé magis extenditur, & magis diſtant partes præcedentes, & dilatatæ: occupant maiorem locum, & iſta quantitas eſt ipſamet ſubſtantia rei: nec iſta quantitas eſt aliqua quantitas inhærens rei ſubſtantiali, quia quantitas non eſt niſi res habés partes diſtantes a parte, qualis eſt ſubſtantia: ſubſtantia enim habet partem diſtantem à parte, nec ad hoc quod partes ſubſtantiæ diſtent, requiritur niſi partes ſubſtantiæ, & cauſæ extrinſecę facientes ipſas diſtare, & per conſequens ad hoc quod diſtent, non requiritur aliqua res inhærens eis. Eodem modo eſt de qualitate, quia qualitas habet partes ſitualiter diſtantes eoipſo quod partes ſubſtantiæ, diſtant, & iſtæ partes tam ſubſtantiæ, quam qualitatis quandoq. magis dilatántur, & quandoq. magis diſtant. Sed diceretur quod partes ſubſtantiæ non poſſunt diſtare núc magis quam prius, niſi propter adueniens eis. Dico quod non plus repugnat eis diſtare magis núc quá prius, ſi nihil addatur eis. Et ita patet, quod propter rarefactioné non oportet ponere ſecundum opinioné Philoſophi, quod in rarefactione ſit acquiſita noua quantitas. Item quod quantitas non ſit alia res à ſubſtantia, & qualitate: patet per Philoſ. in Prędicamentis, vbi dicit quod ſola ſubſtátia eſt ſuſceptiua contrariorú. Quod tamen nó eſſet verú, ſi quantitas diſtincta eſſet ſubiectum primum contrariarú qualitatú. Ex prędictis patet quomodo rarefactio poteſt poni augmentatio talis, quę eſt ad quantitatem non quidem tanquam ad rem nouam acquiſitam modo; ſed ideo dicitur ad quátitatem, quia res quando rareſit, fit maioris quantitatis, hoc eſt, partes moti diſtantes, ſiunt magis diſtantes ſitualiter. Sed forte dubitatur quomodo poteſt quantitas maior eſſe eadem numero cú quantitate minori, maximè cum, quando aliqua ſunt equalia eidem, inter ſeipſa sút equalia, & per conſequens quantitas pedalis, & bipedalis ſi eſſent ęquales vni quantitati, eſſent æquales inter ſe. Dico quod iſta nunquam eſt vera, quantitas maior eſt quantitas minor, hęc tamen eſt vera, quantitas maior fuit quantitas minor, quia hoc non eſt aliud dicere, quam quod partes magis diſtant nunc quam prius, vel è conuerſo. Similiter hęc eſt vera, quandocunq. aliqua sút æqualia eidem quantitati, ipſa inter ſe ſunt ęqualia. Hæc tamen eſt falſa, quęcunq; ſunt talia quod vtrumq; eorum fuit æquale eidem quantitati, illa inter ſe ſunt æqualia, vnde demonſtratis duobus in æqualibus poſſibile eſt quod vtrunque illorum fuerit ęquale eidem quantitati numero propter hoc quod eadem quantitas numero fuit aliquando maior, aliquando minor, hoc eſt partes aliquando magis diſtabant, aliquando minus. Et ſi dicas, ſi manet eadem quantitas, quę prius, & quantitas, quę prius erat pedalis ergo adhuc eſt pedalis quantitatis. Dicendum quod talis modus arguendi non

valet,

valet, ſed eſt fallacia figuræ dictionis. Ex prędictis patet quomodo augumétatio diſtinguitur a motu locali, quia in motu locali mobile non eſt maioris quátitatis, nec minoris in principio, quam in fine. In augumentatione verò mobile fit maioris quantitatis, hoc eſt, partes fiunt magis diſtantes. Sed quęres, nunquid mobile variet quantitatem. Dicendum quod hæc propoſitio, mobile variat quantitatem, poteſt habere duplicem intellectum, vnus eſt iſte, mobile habet aliquam rem, quę eſt quantitas, quam prius non habuit, & ſic variat quantitatem, & iſte intellectus eſt falſus. Alius eſt iſte, partes moti magis diſtant nunc quam prius, & iſte ſenſus eſt verus. Et ſimiliter iſta, mobile eſt nunc alterius quantitatis, quam prius, hoc eſt, mobile fit habens partes magis diſtantes nunc, quam prius, vel fit habens partes minus diſtantes. Per prędicta ad argumenta, quando dicitur quod rarefactio non differret à motu locali. Dicendum quod motus localis dupliciter accipitur, ſcilicet large, & ſtricte: largè pro omni motu, quo acquiritur locus, & ſic augumentatio, quæ eſt rarefactio, eſt motus localis. Aliter accipitur ſtrictè motus localis, & túc dicitur motus motus localis, quando aliquid mouetur localiter, & non fit maioris, vel minoris quantitatis, & ſic augumétatio differt à motu locali. Ad ſecundum dicitur, quod iſta augumentatio dicitur eſſe ad quantitatem, nó nouam, ſed quia mobile dum mouetur, fit maioris quantitatis, & ita aliter eſt ad quantitatem, & aliter ad qualitatem. Sic ergo patet quomodo rarefactio eſt augumentatio, & per ea patere poterit, quomodo diminutio eſt motus ad quantitaté, non quod in diminutione, quæ eſt condenſatio, aliqua quantitas deperdatur, ita quod aliqua quantitas deſtruatur, ſed quia partes rei motæ fiunt minus diſtantes, quam prius, ſine deſtructione cuiuſcumque rei, & ita tunc motum non perdit aliquam quantitatem ſibi inhærentem; ſed tantum perdit locum: quia fit in minori loco quam prius: propter hoc quod partes eius fiunt minus diſtantes localiter quam prius: ſine omni deſtructione cuiuſcunque rei. Et oportet ſcire quod quandocumque dicitur quod partes fiunt magis, vel minus diſtantes, intelligitur de partibus diſtantibus non immediatis, &c.

Ad obiectionem.

Cap. Decimum Tertium.

Sermo de propria augumentatione.

DICTO de augumentatione quę fit ſine aduentu alicuius ſubſtantiæ, videndum eſt de augumentatione, quę fit per aduentú alicuius ſubſtantiæ, quæ non conuenit qualitatibus, ſicut rarefactio, ſed conuenit ſolum ſubſtantiis. Et eſt ſciédum, quod quádo aliquid augumentatur, concurrit ibi alteratio ad qualitatem, quę alteratio eſt motus ſucceſſiuus, vel poteſt eſſe, & concurrit ibi inductio formæ ſubſtantialis in materia, & ita augumentatio, vt accipitur pro alteratione non differt à generatione ſubſtantiali large accipiédo generationem. Vnde ſciendum eſt, quod generatio ſubſtantialis accipitur dupliciter, ſcilicet large, & ſtrictè. Large dicitur generatio ſubſtantialis, omnis inductio formæ ſubſtantialis in materia, & ſic augumentatio eſt generatio. Strictè dicitur generatio ſubſtátialis, quando fit aliquid totum per ſe exiſtens, & non fit pars per iuxta poſitionem vnius iuxta aliud in moto totaliter, & ſic augumentatio non eſt generatio, quæ forte poteſt vocari aggregatio, ſed fit pars, & tamen nó iuxta aliam partem immediatè præcedentem, & iſta augumentatio, ſiue generatio, non competit, niſi ſolum animatis, de quibus patebit inferius.

Cap. Decimum quartum.

Sermo de alteratione.

QVARTA ſpecies motus communiter dicti vocatur alteratio, quæ eſt motus ad qualitatem. Et quia ad aliquam qualitatem eſt motus ſucceſſiuus; & ad aliquam non. Ideo vt videatur quod ad qualitatem, quæ eſt alteratio, eſt motus ſucceſſiuus, oportet diſtinguere de qualitate.

In prędicamento qualitatis.

tate. Et eſt ſciendũ quod ſicut ponit Ariſt. in Prædicamẽtis quatuor ſũt ſpecies qualitatis. Quædam eſt habitus, vel diſpoſitio. Alia eſt naturalis potẽtia, vel impotentia. Alia eſt paſſio, vel paſſibilis qualitas. Quarta eſt forma, & circa aliquid cõſtãs figura. Sed pręter iſtam diuiſione poteſt poni alia diuiſio qualitatis, quod quędam eſt qualitas ſenſibilis, quæ ab aliquo ſenſu particulari poteſt ſentiri, cuiuſmodi ſunt, calor, frigus, color, ſapor, & ſic de aliis. Alia eſt autem qualitas, quæ non eſt ſenſibilis ab aliquo ſenſu particulari, cuiuſmodi ſunt ipſę ſenſationes, quia ipſa viſio oculi non poteſt videri, nec ab aliquo ſenſu ſentiri. Sed talis qualitas eſt imaginatio interior, & actus appetendi, & intellectio, & volitio. Vtrum autem in inanimatis rebus corporalibus ſit aliqua qualitas, quę nõ poſſit ſentiri aliquo ſenſu particulari, patebit poſterius. Oportet autẽ ſcire. quod alteratio, de qua eſt modo ſermo, eſt motus ſucceſſiuus, quo aliqua qualitas inhęrens ſubiecto acquiritur, vel amittitur, ita quod verè res noua acquiritur, ſi ſit motus acquiſitiuus, vel res antiqua deperditur, ſi ſit motus deperditiuus. Sed oportet ſcire, quod alteratio accipitur dupliciter, large pro omni inductione qualitatis, vel deperditione, ſiue ſit conueniens, ſiue diſconueniens ſubiecto, in quod inducitur, ſiue ſucceſſiuè, ſiue ſubito in ſubiecto inducatur, & ſic aer alteratur, quando illuminatur, & ſenſus alteratur, quando actualiter ſentit, & intellectus, quando intelligit. Aliter accipitur alteratio pro inductione ſucceſſiua alicuius qualitatis, vel pro diſpoſitione inducente ad corruptionem ſubiecti, ſicut aqua alteratur, quando calefit, quia illa calefactio diſpoſitiua eſt ad corruptionem aquæ, & aer alteratur, quando deſiccatur, vel infrigidatur. Aliæ poſſent poni diuiſiones qualitatum, & alterationis, de quibus patere poteſt ex dictis.

Cap. Decimum quintum.

Ad quas qualitates ſit motus, & ad quas non.

T. com. 15.

POSITIS diuiſionibus qualitatum, & alterationum, videndum eſt ad quas qualitates eſt alteratio, & ad quas non. Et primo eſt notandum, quod ad figuram non eſt motus, ſiue alteratio, quam concluſionem probat Phi. ſeptimo Phyſic. Primo ſic, ſubiectum alteratum denominatur à forma, ad quam eſt alteratio, ſed figuratum non denominatur à figura, ergo ad figuram non eſt alteratio, maior eſt manifeſta, minor probatur, quia de forma ſtatuæ non poteſt dici quod denominet æs, & ſic de aliis. Ad euidentiam iſtius rationis eſt primo videndum quid eſt figura. Secundo ad quam figuram non eſt alteratio. Tertio quomodo intelligenda eſt, & quomodo teneat ratio Ariſtot. Eſt autem ſciendum quod figura non eſt alia res à ſubſtantia, vel qualitate, immo ipſa quantitas, ſiue ſit ſubſtantia, ſiue qualitas eſt realiter ipſa figura, niſi forte propter aliquem modum ſignificandi alicuius dictionis talis prædicatio impediatur, ſicut figura æris non eſt alia res ab ære, nec figura albedinis eſt alia res ab albedine, & ſic de aliis.

Figura quid ſit, & quod non diſtinguatur à re figurata.

Quod autem non ſit alia res patet. Quia per ſolam ſeparationem vnius rei ab alia: non ſit noua res. Sed frequenter æs, vel lignum ſit alterius figuræ per ſeparationem partium ab ære, vel ligno, ergo non eſt aliqua res noua. Item per ſolum motum localem alicuius corporis non ſit noua res in corpore, ſed quandoquè corpus ſit alterius figurę per ſolum motum localem partium, ſicut patet de virga recta ſi curuetur, & de multis talibus, ergo tunc non ſit noua res, & per conſequens figura illa non eſt noua res. Item talis res noua non poteſt fieri ab aliquo agente, quia ibi nullum eſt agens, quod habeat virtutem producendi talem rem, ſicut inductiuè patet. Item ſi ita eſſet, tunc ad figuram benè eſſet motus, quia res illa, quę non poteſt

I induci

induci in alia re, niſi ſucceſſiuè, verè eſt terminus motus, & ad ipſam eſt motus, ſed quando res eſt vnius figuræ, non poteſt fieri alterius figuræ, niſi ſucceſſiuè, igitur, ſi eſſet ibi res noua, benè ſucceſſiuè induceretur, & per conſequens ſecundũ illam ſubſtantiam verè mouetur, quod eſt contra Phil. Dicendum eſt ergo, quod ſecũdum Phil. figura non eſt talis res, ſecundũ quod multi imaginantur. Ex quo patet quantum ad ſecundum, quod ad figuram non eſt alteratio, niſi quando aliqua qualitas noua inducitur in ſubiecto diſtincto realiter, vel deperditur. Aliquid autem quod eſt vnius figuræ fit alterius figuræ abſque noui termini inductione, & antiqui deſtructione, igitur ſecundũ figuram non eſt alteratio. Ex quibus quantum ad tertium manifeſtũ eſt, quod tenet ratio Phil. nam quando aliquid alteratur, verè eſt ibi ſubiectũ, quod eſt denominabile à forma producta, vel deſtructa, ſicut quando aliquid dealbatur, verè eſt ibi ſubiectũ denominabile ab illa albedine noua, & ſic de aliis. Sed quando aliquid fit alterius figuræ non eſt ibi aliquod ſubiectũ quod poſſit denominari ab illa re noua, cũ nulla res noua fit ibi, igitur ſecundũ figurã non eſt alteratio. Ex his patet quod ratio Phi. nihil probaret, ſi figura eſſet alia res noua adueniens ſubiecto: quia ſi ita eſſet, acciperet Phi. falſum; ſcilicet quod ſubiectũ non eſt denominabile à tali figura, quia omne ſubiectũ denominabile eſt à quolibet accidente ſuo: quia non eſt maior ratio quod debeat magis denominari ab vno, quam ab alio, igitur denominabitur à quolibet, vel à nullo, igitur ſi figura eſſet talis alia res, verè ab ea ſubiectum denominaretur. Et ſi dicis, quod non denominat, quia deficit nobis nomen denominatiuum, hoc non valet, quia tũc ratio Phil. non concluderet: nam propter defectum nominum non poteſt probari, quod ſecundum rem aliquam non ſit motus, ſicut ſi deficeret nomen denominatiuum albedinis, puta ſi non haberemus nomẽ ad denominandum ſubiectum ab albedine, ſequeretur, quod ſecundum albedinem non eſſet motus, quod eſt abſurdũ, modo ergo defectus nominum non tollit, quando ſecundum veritatem ad figuram ſit motus; ſed tantum facit, quod ſubiectum non denominatur à figura, & non quod ad figuram non ſit motus, ſi ſit talis res; ſed hoc eſt, quia non ſunt ibi duę res, quarum vna inhęret alteri, & hinc eſt, quod non habemus tale nomen denominatiuum, quia tale nomẽ vnum ſignificat in recto, & aliud in obliquo. Et ſi dicis, ſi non ſit ibi talis denominatio propter indiuiſionẽ rerum, eadem ratione ſubiectum non pręd icaretur denominatiuè de figura, cuius oppoſitum dicit Philoſ. Ex quo quidẽ enim forma ſtatuæ non dicimus formam, neq; ex quo figura pyramidis eſt, aut lecti; ſed quidem denominatiuè ſunt, hoc eſt æneum illud, aut terreũ, aut ligneum. Dicendũ quod denominatio æquiuocè dicitur, vno modo largè pro pręd icatione, & ſic accipit Philoſ. in pręd icta auctoritate, quod nomina ſubiectorum denominant figuras, ideſt pręd icantur de nominibus figurarum, & formarum, vt dicit Porphirius, quod ſtatua eſt ęrea, & lectulus eſt ligneus. Aliter accipitur denominatio ſtrictè, quando nomen denominatiuum ſignificans duas res, vnam in recto, & aliã in obliquo inhęrentem tali rei importatæ per nominatiuum, pręd icatur de aliquo, & iſto modo nomina ſubiectorum nõ denominãt formas, & figuras, propter quod nomina quæ prædicantur de ſubſtantijs, formis, & figuris, non pręd icantur de eis æqualiter; ſed nomina prædicantur ęqualiter de ſubiectis, & qualitatibus, quę ſunt illæ res. Vnde quando dicitur, quod ſtatua eſt ærea, non intelligendum, quod hoc nomen, æreum ſit ibi denominatiuum ſignificans vnam rem in recto, & vnam aliam in obliquo; ſed eſt nomen ſignificans idem quod æs, & non aliud, & ideo benè dicitur, quod ſtatua eſt æs, ſicut ſtatua eſt ærea, & propter hoc illud nomen, ęs, non dicitur ęqualiter de hoc ęre, & de hac ſtatua; Conuenientius tamẽ dici-

Secundum quam figuram non ſiat alteratio.

T. com. 15.

dicimus, quod ſtatua eſt ęrea, quam æs, ad denotandū, quod æs non eſt ſtatua per naturam, ſed per artem, nō tamen per nouitatem alicuius rei, ſed per diuerſam ſituationem partium eiuſdem æris. Sed ſi aliquod nomen prædicaretur de albo, ſiue de homine, ſiue de corpore, & albedine, illud æqui uocè diceretur propter diffinitionem corporum, & albedinis exiſtentis in corpore, & hoc eſt, quod dicit Philoſ. vij. Phy. æs enim quod humidum eſſe, ac forte calidū dicimus, aut forte, & non ſolum ſic, ſed humidum, & calidum eſſe æs æqualiter dicentes paſſionē, & materiam. Ex quo quidem ibi forma, & figura, & quod factū eſt ęqualiter non dicuntur cū figuris, quæ ex illo ſunt, quę autem alterantur cū paſſionibus æqualiter dicuntur. Vult dicere quod humidum, & calidum dicuntur de ære, ſic dicendo, ęs eſt calidum, ęs eſt humidum, & non ſolum ſic, ſed è contra, quod calidum eſt æs, & humidum eſt ęs. Sed ſi aliquod idem nomē diceretur de materia, & paſſione, ideſt, qualitate inhęrente, puta ſi hoc nomen, humidum, diceretur de ære, & humore, vt hæc eſſet vera, ęs eſt humidum, & ſimiliter iſta, humor eſt humidus, hoc nomen humidū æqualiter acciperetur. Sicut hoc nomen album, ęqualiter acciperetur: quādo diceretur homo eſt albus & albedo eſt color albus. Sed ſubiectum formę, & figurę: & illud quod fit, non dicuntur ęqualiter cum figuris, ideſt, idem nomen non prędicatur æqualiter de ſtatua, ære, & figura. Vnde in iſtis propoſitionibus, figura eſt ęrea, ſtatua eſt ęrea, hoc metallum eſt ęreum, non accipitur prędicatum ęqualiter, & pro diuerſis, ſed pro eodem ſupponit in omnibus iſtis propoſitionibus. Sed quę alterantur cum paſſionibus æqualiter dicuntur, ideſt, ſi idem nomen prædicaretur de nomine alterati, & de nomine abſtracto paſſionis, ideſt, qualitatis, ſecundum quam alteratur, æqualiter dicitur de eis, & pro diuerſis ſupponit, ſicut in iſtis, homo eſt albus, albedo eſt color albus, & idem eſſet, ſi vtraq; iſtarum eſſet in vſu, homo eſt albus, albedo eſt alba. Et ita patet quod ſi dicendo, ſtatua eſt ęrea, non eſt prędicatio denominatiua ſtrictè accipiendo prędicationem denominatiuam, ſcilicet, quando denominatiuū ſignificat duas res, quarum vna inhęret alteri; ſed valet iſtā, ſtatua eſt æs. Aliam rationem ponit Philoſophus ad prędictam concluſionem. Quod perficitur, non alteratur, ſicut homo, quando recipit finem, ideſt, formam ſubſtātialem, non alteratur, nec domus alteratur, quādo perficitur, ſcilicet cōſumatur, ſed domus, quādo cōpletur quantū ad formā, puta quando operitur, recipit formā talē, igitur ſecundū formā talē non eſt alteratio. Et vocat ibi Phil. formam, quę reperitur in artificialibus, & vult probare, quod ſecundum talem non eſt alteratio: quia illa fit, quando res artificialis fit, ſicut quando domus, vel ſtatua, vel lectulus fit, vel aliquid huiuſmodi, igitur ſi non alteratur aliquid per hoc quod fit ità, hoc eſt, nō alteratur aliquid per hoc quod fit domus, vel ſtatua, vel lectulus, vel huiuſmodi aliquid, & per conſequens ſecundum talem formam, & figuram nō eſt alteratio. Sed rationes iſtę omnes fundātur in hoc, quod figura talis, & forma non eſt res diſtincta realiter à re naturali, vel à re, quę quandoq; eſt vnius figurę, quandoquè alterius. Ex prędictis patet quod nō tantum ad figuram, & formam non eſt alteratio, quæ eſt motus ſucceſſiuus, ſed nec etiā alteratio, quę eſt inductio cuiuſcunq; qualitatis, ſed omnęs figuræ, & formæ tales fiunt ſolum per motum localem, quāuis nonnunquam motus localis ſequatur alterationem ſecundum qualitates, vt vult Philoſ. vbi prius.

T. com. 15.

Cap. Decimum ſextum.

An figura ſit res diſtincta à figurato.

AD manifeſtationem prædictorum ponentur quędam obiectiones, ad quas expedit reſpondere. Videtur enim quibuſdam, quod figura ſit alia res à figurato. Primo, quia ſubiectum formæ diſtinguitur à forma, ſed ęs eſt ſubiectum formę, & figurę, ergo &c. Secundo illud ex quo fit aliquid, diſtinguitur ab illo, quod

fit,

fit, ſed ex ære fit ſtatua, igitur æs non eſt ſtatua, nec ſtatua eſt ęs. Tertio, quia ſuperius dicitur quod corpus fit alterius figurę igitur primo eſt vnius figurę, & poſterius eſt alterius figurę, & per conſequens vna figura ſuccedit alteri, ſed nihil ſuccedit ſibijpſi, igitur illę figurę diſtinguntur, & per conſequens non ſunt eadem res cum figurato. Ad primum illorum dicendum eſt, quod ſecundum viam Phil. hęc locutio eſt impropria, æs eſt ſubiectū formę, & figurę, & etiam quælibet talis, æs eſt materia ſtatuę, lignū eſt materia lectuli, quia per tales intelliguntur tales, ęs fit forma, ęs fit ſtatua, lignum fit lectulus, vel lignum fiebat lectulus, & ſic de alijs. Sunt autem vſitatę tales locutiones propter aliquam ſimilitudinem ſubiecti reſpectu formę, & æris, vel rei naturalis reſpectu formæ, vel ſtatuę: ſicut enim ſubiectum ſupponitur formæ, quam recipit, & poſtea recipit, ſic res naturalis prius eſt lignum, vel ęs, quam fiat ſtatua. Similiter ſicut poteſt non recipere ſubiectū formam, ita ęs, aut lignum poteſt non eſſe ſtatua, non per alicuius rei deſtructionem; ſed per ſolam diuerſam partium ſituationem, & propter conſimiles ſimilitudines dicitur, quod æs eſt ſubiectum, vel materia ſtatuæ, ſicut homo dicitur, quod eſt ſubiectum albedinis, & materia eſt materia compoſiti. Ad formam autem argumenti, quando dicitur, ſubiectum formæ diſtinguitur à forma, concedo. Æs eſt ſubiectum formæ, & figuræ. Dico quod hęc eſt diſtinguenda penes ſecundum modum amphibologię, quia ſi ſumatur propriè, eſt falſa, & tunc eſt diſcurſus bonus. Si ſumatur impropriè, vera eſt, ſed tunc non valet diſcurſus non plus quam valeret, quam ſi propoſitio, quę per ipſam intelligitur, poneretur loco eius. Ad ſecundum per idem, quia ex ære dicitur fieri ſtatua, quoniam æs fit ſtatua. Nec aliud intelligunt loquentes rectè, quando dicunt, quod ex tali re naturali fit res artificialis, niſi quod res naturalis fit artificialis, Sicut lignum fit lectulus, & æs fit ſtatua, ſine omni nouitate rei, ſed ſolum per diuerſam partium ſituationem, vel propter partium ablationem, vel propter diuerſam congregationem, & debitam approximationem. Ad tertium ſimiliter dicitur, quod hæc eſt figuratiua locutio, corpus fit alterius figuræ nunc, quam prius, quia per iſtam intelligitur iſta. Corpus, quod erat triangulare, vel quadrangulare, fit pentagonum, vel exagonum, non quod ſint ibi ſucceſſiuè aliquæ res, quæ ſint alterius figurę; ſed quia primo res eſt triangularis, & poſtea quadrangularis propter ſolam diuerſam ſituationem partium. Quod accidit ex ſolo motu locali partium, ſicut eadem res, quæ eſt primo recta, poſtea fit curua propter ſolum motum localem, quo partes appropinquantur, quæ primo diſtabant in rectum quantum poterant abſquè hoc quod de nouo fieret aliquid, & ita in rei veritate vna figura non ſuccedit alteri, nec ſunt ibi diuerſę figurę ſucceſſiuè, quia illa eadem figura, quæ primo eſt triangularis, poſtea eſt quadrangularis, vel è conuerſo. Sic ſicut illa res, quæ primo eſt rectitudo, poſtea eſt curuitas, & è contra, ſine omni nouitate, & diuerſitate rei. Dicitur tamen ſecundum communem modum loquendi, quod ſunt diuerſæ figuræ, quia eadem res eſt aliter, & aliter figurata, ſed ſine nouitate rei inhęrentis, licet non ſine motu locali partium eiuſdem rei. Et ſi quæris quomodo figura eſt in quarta ſpecie qualitatis, ex quo non diſtinguitur a re figurata, quæ eſt in genere ſubſtantiæ. Reſpondeo ſecundum Ariſtot. quod nihil prohibet eandem rem eſſe in diuerſis Prædicamentis, ideſt nihil prohibet eandem rem ſignificari per prædicabilia diuerſorum Prędicamentorum. Et ideo iſta nomina, triangulus, quadrangulus, circulare, & huiuſmodi, ſunt in Prædicamento qualitatis quantumcunque ſignificent rem de genere ſubſtantię, & illam rem quæ eſt figurata,

Quomodo eadem res fit in diuerſis prædicamentis.

&

& illa eadem res figurata ſignificatur per prædicabile in genere ſubſtantię, & per prędicabile in genere qualitatis. Et ſi quęras tunc quare plus eſt vnum prædicabile in genere ſubſtantię, quam aliud, ex quo omnino idem ſignificant. Dicendum, quod ideo vnum illorum eſt in genere ſubſtantię, & aliud in genere qualitatis: quia per vnum illorum reſpondetur ad quęſtionem factam per quid de indiuiduo ſubſtantię, & per aliud reſpondetur ad quęſtionem factam per quale accidentaliter eodem demonſtrato indiuiduo. Si enim quęras de aliquo ligno quid eſt, conuenienter reſpondetur ſubſtantia, planta, & corpus. Si autem quęras, quale eſt, conuenienter reſpondetur, quod quadratum, vel rotundum, vel triágulare, & huiuſmodi. Et ſi quęras adhuc, quare plus per vnum reſpondetur ad interrogationem factam per quid de indiuiduo ſubſtantię, quam per aliud. Dicendum quod ideo per vnum reſpódetur cóuenienter ad quęſtioné factá per quid de indiuiduo ſubſtátię, quia illud ſignificat tale indiuiduú qualitercunq; ſituentur partes eius, ſicut qualitercunq; ſituentur partes ligni, ſemper dum ipſú eſt in rerú natura, ſignificatur per ly ſubſtátia, & per hoc nomé, corpus, & ſic per alia prædicabilia in genere ſubſtantię. Sed per hoc nomen quadratú, non ſignificatur, niſi partes taliter ſituētur, quia ſi aliter ſituarētur, quádo mouētur localiter, ſtatim ceſſaret ſignificari per hoc nomé, quadratú, quátúcunq; ipſum manet in rerú natura, & ideo vnum prędicatur cótingenter, & aliud neceſſario, & etiá per vnú cóueniéter reſpódetur ad quęſtioné factá per quale, & per aliud ad quęſtioné factá per quid. Quod accidit ex hoc, quod partes poſſunt diuerſimodè ſituari: vnde ſi nó haberet partes, non poſſet eſſe talis diſtinctio prędicabiliú ſignificantiú eandé rem de genere ſubſtantię; propter quod eſt impoſſibile, quod diuerſa prędicabilia diuerſorú Prędicamentorum importét eandē rem indiuiſibilé, niſi alterú illorú aliam rem, pręter rem indiuiſibilé, importet, quod fortè eſſe poteſt de iſtis prędicabilibus in genere qualitatis, ſed hoc nó eſt neceſſariú ad propoſitú ſaluandú.

Cap. Decimum ſeptimum.

NON ſolum autē nó eſt alteratio ſecundú formá & figurá, ſed nec eſt alteratio ſecundum habitus, ſicut probat Phil. vij. Phy. Ad quod faciliter intelligēdú oportet cóſiderare, quod habitus quidá eſt corporalis, quidá ſpiritualis. Corporalis vero dupliciter dicitur. Quida enim ſumitur vnus numero, ſicut habitus derelictus in aliquo organo ex frequétatibus actibus, ſicut patet in cátore, cui ex frequétatis actibus cantádi, derelinquitur cantori quædam habilitas in organo ad benè cátandum, qualis nó habetur ſine habitu cátandi. Quidá autē eſt habitus corporalis, qui nó ſimpliciter eſt vnus núo, ad modú, quo hęc albedo, vel hęc nigredo eſt vna numero, ſed eſt aggregatio multorum, quibus habitis dicitur habēs ſe habere benè, vel male, & ſic ſanitas dicitur habitus, quia eſt debita proportio humorú. Et pulchritudo dicitur habitus, quę eſt debita proportio membrorú cú ſanitate corporis. Eodé modo ęgritudo, & infirmitas dicútur habitus. Et ſimilis diſtinctio poteſt dari de habitu ſpirituali. Dicútur autem omnia talia eſſe in Prędicaméto qualitatis, quia per omnia talia reſpódetur ad interrogationé factam per quale de indiuiduo ſubſtátię. Si enim quęritur qualis eſt Alexader, cóuenienter reſpódetur, pulcher, vel turpis, ſanus vel ęger. Similiter ſpiritualis habitus poteſt accipi dupliciter, ſcilicet ſtrictè, & ſic eſt tantum in intellectu, ſecundú vná opinioné. Aliter large, ſic eſt in parte ſenſitiua: quamuis in rei veritate ſit corporalis, & extenſus. Habitus auté, qui eſt in anima intellectiua, ſubdiuiditur: quia quidam eſt intellectualis, & quidá eſt moralis. Similiter fortè poteſt diuidi habitus in parte ſenſitiua, quia ſecúdum aliquos quidam eſt apprehenſiuus, & quidam appetitiuus. Oportet autem ſcire, quod pręter habitus ponuntur quidam actus diſtincti ab habitibus,

T. com 17. Ad habitus non eſt motus.

Habituum diſtinctio.

tam

tam in parte ſenſitiua, quã intellectiua. Et ſunt quidã actus cognoſcitiui appetitiui, ex quibus generatur habitus. Et de his omnibus dictum eſt ſigillatim, quomodo ſecũdum ea eſt alteratio, & quomodo nõ. Sciendum eſt igitur quod ſecundum habitum, qui eſt debita congregatio multorũ non fit vniuerſaliter alteratio, quia omnis alteratio eſt per inductionẽ, vel abiectionem alicuius qualitatis à ſubiecto ſuo; ſed poſſibile eſt, quod ſubiectum denominetur ſecundũ talem habitum abſq; alicuius qualitatis, vel inductione, vel abiectione per ſolam ſeparationem partium. Aliquis enim exiſtens pulcher poteſt fieri turpis per ſolam partis abſciſſionem, ſi enim à tali auferatur naſus, vel oculus, vel pes, fiet turpis, & tamẽ nulla eſt ibi qualitatis inductio, nec alicuius qualitatis abiectio, niſi illa, quę eſt in illo membro abiecto, ergo poteſt fieri turpis, vel ſanus, vel æger ſinę tali qualitate adueniente ſibi, vel recedente, ergo ſecundum talem qualitatem nõ eſt alteratio vniuerſaliter, hoc eſt, quod realiter poteſt fieri aliquis pulcher, vel turpis, ſanus, vel ęger ſine tali qualitate adueniente, vel recedente, propter quod poteſt de nouo talis prędicatio verificari ſine alteratione, & ſecundum hoc tenet ratio Philoſ. quia talis habitus ſunt ad aliquid, ſed ad aliquid non eſt alteratio, ergo &c. Et debet iſta ratio ſic intelligi, quod quando aliquid eſt ad aliquid, ita quod non ſignificat in obliquo qualitatem informantem ſubiectum, tale prędicatum poteſt de nouo verificari de ſubiecto ſine alteratione, ſed tales habitus, ideſt talia nomina, ſecundum quæ reſpondetur ad interrogationem factam per quale de aliquo Indiuiduo ſubſtãtię, ſunt ad aliquid, quæ ſignificant aliquid aliud in obliquo pręter qualitatem informantem ſubiectum, ſicut pulchritudo ſignificat in obliquo membra, vel aliquod tale, quod non eſt qualitas informans ſubiectum, ideo non eſt neceſſe, quando de aliquo verificatur illud de nouo alterari. Et eſt aduertendum, quod aliquid dicitur ad aliquid dupliciter. Aliquod enim nomen dicitur ad aliquid: quia ſibi ſemper poteſt adiungi aliquis caſus obliquus, & tale proprie eſt ad aliquid, ſicut Pater, Filius, & huiuſmodi. Aliquid dicitur ad aliquid aliter, quia in eius diffinitione ponitur aliquod nomen, quod eſt primo modo ad aliquid, & ſic pulcritudo eſt ad aliquid; quia in eius diffinitione exprimẽte quid nominis ponitur tale nomen, quod eſt primo modo ad aliquid, ſicut, ſi diffiniatur pulchritudo ſic. Pulchritudo eſt elegans diſpoſitio membrorum, &c. ibi enim ponitur ly membrorum, quod eſt obliqui caſus huius nominis membrum, quod primo modo eſt ad aliquid, quia ſi aliquid nullius eſt membrum, non eſt membrũ, & ſic eſt de ſanitate, & huiuſmodi, & iſta ratio tantum valet de ad aliquid primo modo dicto, ſicut de ad aliquid ſecundo modo dicto, & hoc ſufficit ad rationem Philoſ. Oportet autem ſcire quod quamuis non ſit neceſſe, quod ſemper, quando aliquid fit pulchrum, vel ſanum, vel ægrum, & huiuſmodi, quod tale ſemper alteretur, ſiue ſecundum ſe, ſiue ſecundum partes. tamen poſſibile eſt, quod aliquod tale alteretur, quando aliquod tale fit turpe, vel pulcrum, &c. Et quandoquè quidem eſt alteratum ſecundum totum, & quandoquè ſecundum partem tantum. Et iſta poteſt eſſe alia ratio, quare ſecundum tales habitus non dicitur alteratio, quia ſicut per alterationem partis totum dicitur eſſe tale, & poſſibile eſt eſſe quod totum dicatur tale propter alterationem partis tantum, & non per totius alterationem dici tale, ideo non eſt neceſſe alterari illud, quod denominatur ſecundum talem alterationem. Qualiter autem aliquid poteſt fieri ſanum, vel ægrum ſine alteratione non pertinet ad pręſens negocium; ſed magis ad medicinam. Ex prædictis patet, quod ſecundum talem qualitatem nõ eſt neceſſe, quod ſit alteratio, nec ſubita, nec ſucceſſiua, licet quandoq; tale etiam alteretur alteratione ſucceſſiua.

Ad aliquid eſſe dupliciter.

Cap.

Cap. Decimum octauum.

SIMILITER ſecundum habitus corporales, qui non ſunt ſic aggregati ex diuerſis, ſed quilibet iſtorũ eſt per ſe vnus, non eſt neceſſe fieri alterationem. Accipitur enim habitus largè pro omni eo, quod per aſſuefactionem actuum aliquid redditur habilius, & facilius ad actus conſimiles, ſicut aliquis per aſſiduitatem ſcribẽdi, vel cantandi, vel ſaltandi redditur aptior, vel promptior ad ſcribendum, cantandũ, vel ſaltandum, & ſic de conſimilibus. Et ſecundum tales habitus non eſt neceſſe alterari: quia taliter poteſt aliquis habituari, quandoq; per alicuius indiſpoſitionis ammotionem, ſine omni qualitate adueniẽte, & per conſequens non eſt neceſſe tale alterari. Si tamen aliqua qualitas ſuperueniat qualitercumq; neceſſe eſſe illud cui aduenit alterari, vel ſubito, vel ſucceſſiuè: & ideo non intellexit Phi. quod quandocumq; aliquod ſubiectum ſit tale, quod illud non alteratur; ideo quandoq; alteratur etiam ſucceſſiuè, ſicut actus, quo ácquiritur talis habitus, eſt ſucceſſiuus: nec eſt mirandũ quod ſecundũ qualitatem in prima ſpecie qualitatis ſit motus, & alteratio: nã Phi. in Prædicamentis eandem qualitatem ponit, tam in prima ſpecie qualitatis, quã in tertia; ſicut exemplificat de frigiditate, & calore, ſecundum quæ manifeſtum eſt eſſe alterationem &c.

Cap. Decimum nonum.

Ad habitus ſpirituales non ſit motus.

RESTAT videre an ſecundum actus cognitionis appetitionis, tam partis ſenſitiuæ, quam intellectiuæ ſit alteratio. Et dicendum quod ſecundum tales actus eſt alteratio largè accipiendo alterationẽ, pro quacunque, ſcilicet inductione cuiuſcunq; qualitatis, quod probari poteſt ratione, & auctoritate. Ratione quidem. Quãdocunq; in ſubiecto aliquo inducitur vera qualitas diſtincta realiter à ſubiecto, eſt vera alteratio, ſic accepto vocabulo. Sed quando anima ſenſitiua cognoſcit, vel appetit aliquid, inducitur qualitas diſtincta realiter à ſubiecto, ergo ibi eſt alteratio: maior patet, minor probatur, nam talis actus cognoſcitiuus, vel appetitiuus eſt vera qualitas, quod probo ſic. Perfectio cuiuslibet perfectibilis eſt forma ſubſtãtialis, vel accidentalis. Sed actus cognoſcitiuus, vel appetitiuus eſt perfectio animæ ſenſitiuæ, vel intellectiuæ, ergo eſt forma ſubſtantialis, vel accidentalis, & nõ eſt niſi qualitas: conſtat igitur propoſitum. Secundo ſic, potẽtia ſenſitiua aliquid recipit ab obiecto, & non niſi ſenſationem, ergo ſenſatio ibi recipitur, & non recipitur ibi, niſi qualitas, & per conſequens ſenſatio eſt qualitas. Quod autem potentia ſenſitiua aliquid recipiat manifeſtum eſt: quia ſi nihil reciperet, non plus diceretur ſentire nunc, quam prius. Et ita actus eſt qualitas, & per conſequens eadem ratione quilibet alius actus eſt vera qualitas. Item actus animæ eſt principium alterationis corporalis in corpore, ſicut patet per experientiam, quę alteratio non fieret niſi præexiſtente illo actu, igitur eſt ibi aliquid aliud, quod prius non erat, & non ſubſtantia, igitur qualitas. Confirmatur quia actus amoris eſt vera qualitas, igitur eadem ratione quilibet alius actus eſt vera qualitas, antecedens probatur, quia impoſſibile eſt contradictoria ſucceſſiuè verificari, niſi propter aliquam mutationem ſubiecti, vbi ſola tranſitio temporis non ſufficit ad talem ſucceſſionem veritatis, ſed poſſibile eſt aliquem qui prius non dilexit aliquem, nũc diligere, ita & per conſequens ſucceſſiuè verificantur contradictoria, & non ſufficit ſola tranſitio temporis, igitur eſt alia mutatio, & non localis, manifeſtum eſt, nec augumentatio, nec diminutio, nec generatio, nec corruptio, cõſtat igitur quod eſt ibi aliqua alteratio, ita quod aliqua qualitas acquiritur, vel deperditur; ſed nulla niſi actus amoris: igitur ille actus eſt vera qualitas, & per conſequens eſt ibi alteratio, ſic accepto vocabulo pro inductione qualitatis. Idem patet auctoritate Phi. ſecundo de anima tex. com. 54. dicentis. Senſus autem in

In omni ſenſatione atq; appetitione ſit noua qualitas in anima.

moueri

moueri aliquid, & pati accidit, ſicut dictú eſt, videtur enim quędam alteratio eſſe: aiunt autem quidam, & ſimile à ſimili pati, hoc auté quomodo poſſibile, aut impoſſibile, dictum eſt in vniuerſalibus, pati igitur (cú non ſimile ſit paſſum) ſimilantur, & eſt illud vt illud. Ex hac auctoritate patet, quod quando ſenſus ſentit, patitur, & ſi nihil reciperet, non diceretur pati, ex quo liquet, quod ſenſus aliquid recipit, & non niſi qualitatem, igitur &c. Dicendú eſt igitur, quod quilibet talis actus eſt vera qualitas inhęrens ſubiecto, & ideo illud ſubiectum vere alteratur, ſed non eſt neceſſe vt alteretur ſucceſſiuè, quoniã in inſtanti, & ſine ſucceſſione cauſatur actus in partibus ſenſitiua, & intellectiua. Et ſi queratur, nunquid eſt ibi alteratio, quę eſt a contrario in contrarium. Dico quod aliter dicendum eſt de parte ſenſitiua, & aliter de parte intellectiua, pars enim ſenſitiua nunquam alteratur ab aliquo actu cognitiuo ad actum cognitiuum contrariú quia actui ſenſitiuo nullus actus contrariatur, ſicut viſioni albedinis nullus actus contrariatur, quia ſi aliquis ſibi contrarietur, aut eſſet actus reſpectu albedinis, & certum eſt quod talis ſibi non contrariatur, aut actus reſpectu nigredinis, qui etiá actus non contrariatur ſibi, quamuis enim albedo, & nigredo contrarientur, viſiones tamen earum non contrariantur. Actus tamen appetitiuus vnius obiecti forte cótrariatur actui appetitiuo eiuſdem, vnde quandoq; animal brutum aliquod ſenſibile proſequitur, quod poſtea fugit, quod forte ſine contrariis actibus appetendi eſſe non poteſt: ſed in parte intellectiua dico, quod poteſt eſſe alteratio à contrario in contrarium. Diſtinguendum tamen eſt de actu intellectiuo cognitiuo, quia quidam eſt reſpectu complexi, & quidam reſpectu incomplexi. Quantum ad primum dico quod cum aliqui actus reſpectu eiuſdem obiecti ſint complexi, ſicut actus errandi, & ſciendi circa eandem concluſionem, & ſimiliter actus credendi, & actus dubitandi, Et manifeſtum eſt quod illud quod quandoq; quis dubitat, poſtea credit, & ſimiliter eandem concluſionem, circa quá primo errat, poſtea ſcit, talis alteratur de contrario in contrarium, & per conſequens tales actus ſunt contrarii. Similiter eidem concluſioni verè poteſt quis primo diſſentire, & poſtea aſſentire, & e contra, & per conſequens verè alterabitur à contraria qualitate in contrariam qualitatem: illa tamen alteratio non eſt ſucceſſiva, ſed ſubita, ad modum, quo vna forma ſubſtantialis ſuccedit alteri ſubiecto, & non ſucceſſiuè. Quantum ad actum incomplexum, dico quod actui incomplexo non eſt aliquis actus cótrarius, qua vnus actus non ſuccedit alicui ſibi contrario, & per conſequens non eſt tunc alteratio ex contrario, ergo, &c. Sed quantum ad actum voluntatis dico, quod eſt ibi alteratio ex contrario, ſicut amor, & odium contrariantur, & poteſt aliquis mutari ab actu odiendi ad actum amandi, ideo oportet ſcire, quod quandoq; poteſt fieri talis alteratio ex cótrario, tamen hoc non eſt neceſſariú. Vnde quandoq, pars intellectiua tam ad actus cognitionis, quam ad actus voluntatis poteſt alterari tam ex contrario, quam ex non contrario. Vnde quandoq, intellectus alteratur ad actum ſciendi, ab actu errandi, vel dubitandi, contrario precedente immediatè, & tunc ex contrario alteratur, & quandoq, tali actu nó pręcedente immediate actum errandi, & volendi, & tunc ex non cótrario. Similiter quádoq; anima intellectiua mutatur ad actum amandi, ſeu volendi præcedéte immediatè actu odiendi, vel noléndi, & quandoq, tali actu non pręcedente immediate, & tunc ex non contrario. Et ſi queras, an talis alteratio poſſit eſſe ſucceſſiua. Quátum ad hoc videtur mihi quod proportionabiliter dici debet de alteratione ſecundum tales actus, & de alteratione ſecúdum lucem, vnde ſicut lucidum quod prius tenebroſum fuit, ſubito illuſtratur, & tamen poteſt ſucceſſiuè augeri propter ſucceſſiuam approximationem illuſtrantis, ita poteſt aliquis actus ſubito introduci, &

An alteratio in ſpiritualibus ſit à cótrario in contrarium.

tamen

tamen poſtea continuè augeri, ſicut totum lumen ſubito introducitur ſine omni poſteriori augumentatione, ſeu intenſione, nulla mutatione facta circa illuminans, ſeu illuſtrans, & illuminatum, ita totus actus tam potentię ſenſitiuę, quam intellectiuę ſimul inducitur, vel producitur ſine augumentatione ſequenti, niſi fiat aliqua variatio in cauſa, vel in cauſis efficiētibus actum. Sed tamen ab iſta regula excipitur actus voluntatis, qui propter voluntatis libertatem, ſine omni alia mutatione, poteſt augeri, vel intendi.

Cap. Vigeſimum.

Cap. 1. QVIA ex actibus generatur habitus per Ariſt. ſecundo Ethi. Ideo viſo quod ſecundum actus eſt alteratio, vidēdum eſt an ſecundum habitus, ſit alteratio, vel dicatur aliquid alterari. Vnde ad pręſens dicendum eſt, quod habitus accipitur dupliciter. Vno modo pręciſe pro aliquo derelicto ex actu cognoſcitiuo appetitiuo, vel ſenſitiuo, vel intellectiuo. Sicut ex actu cognoſcendi frequenter aliquid, derelinquitur quędam inclinatio, ſiue habilitas, qua aliquis facilius cogitat illud, quam ſi nunquam cogitaſſet. Aliter accipitur habitus pro omni diſpoſitione, qua aliquis habilitatur ad bene, vel male faciendum, & ſic virtus, & malitia dicuntur habitus. Secundum igitur quod habitus accipitur primo modo, dicendum eſt, quod ſecundum habitus eſt alteratio, accipiendo alteratione pro omni acquiſitione, vel inductione qualitatis diſtinctę, vel diſparatę à ſubiecto. Quod autem habitus ſit qualitas diſtincta ab actu, & à ſubiecto, patet ex hoc. Quando aliquid poteſt in aliquem effectum, in quem prius non poterat, habet aliquid, virtute cuius poteſt nunc in talem effectum, quod prius non habuit, nec ſufficit motus localis, quando non potuit in eundem effectū, nec fuit aliquod impedimentum amotum, vel aliqua cauſa alia efficiens approximata, quorum neutrum poteſt poni in propoſito, ſed poſt frequentatum actum poteſt aliquis in aliquem effectum, in quem prius non potuit, igitur nunc habet aliquid, quod prius nō habebat, vel eſt aliter motum, ſed hoc ſecundum non impedit, vt ſuppono; ergo habet aliud, quo poteſt exire in illud, & illud non eſt ſubſtātia, manifeſtum eſt, ergo eſt qualitas, & illud voco habitum. Et ita eſt aliqua qualitas, quæ prius non erat, & ideo alteratur. Sed accipiendo habitum ſecundo modo, ſcilicet pro malitia, & virtute: dico quod ſecundum Philoſophum ſecundum malitias, & virtutes non eſt alteratio, quæ concluſio ſic debet intelligi, quod quando aliquis ſit virtuoſus, vel malitioſus, aliquando redditur promptus, vel inclinatus, vel inclinabilis ad bene, & virtuosè, vel ad male, & vitioſe agendum, & ſic propter hóc non alteratur, quamuis ibi aliquid alteretur, quod ſi non alteraretur, non redderetur inclinatus ad bene, ſeu vitioſe agendum. Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, quod propter varias diſpoſitiones, & qualitates corporales inclinatur aliqui ad bene, vel male operandum, propter quod aliquis magis inclinatur ad iracundiam, & incontinentiam, & intemperantiam in hyeme, quam in æſtate. Similiter ad multos actus laudabiles, vel culpabiles aliter inclinantur, tam habitantes in regione excelliuè frigida, quam in regione exceſſiue calida & habitantes in regione temperata. Secundum coniunctionem etiam corporum cęleſtium, & planetarum homines ad actus laudabiles, vel vituperabiles diuerſimode inclinantur. Ex quibus igitur multiſquè alijs experimentis manifeſtum eſt quod propter diuerſas qualitates corporales animalia rationalia ad bene, vel male operandum diuerſimode inclinantur abſque hoc, quod fiat aliqua alia alteratio, pręter alterationem, quæ eſt ſecundum ſenſibilē qualitatem, propter quod eſt ibi alteratio ſecundum qualitatem illam, vel acquiſitā, vel deperditam ipſis, vt propter caloris diminutionem in eis primo inclinabantur ad

Habitus dicitur dupliciter.

Quomodo ſit audiendum quod ſecundum virtutes, & malitias non ſit alteratio.

ad actus intemperantię, & poſtea inclinatur ad actus temperantię, & ſimiliter dicendum eſt de alijs, igitur pręter alterationem illam, non eſt neceſſe aliam ponere ad hoc quod aliquid reddatur ad ſtatim bene, vel male operandum; propter quod ſecundum virtutem, & malitiam non eſt diſtincta alteratio ab alteratione ſecundũ qualitatem ſenſibilem, ſed ex hoc, quod alteratur ſecũdum qualitatem ſenſibile,& corporalem, fit aliquis virtuoſus, vel malitioſus, aut fit inclinatus ad virtuoſe, vel vitioſe agendum, & hoc intendit Philoſ.
T. com. 17. quando dicit ſeptimo Phy. Fit quidem cum quidem alteratur, eſt acceptio &c. Vult enim dicere quod tunc fit remotio malitię & receptio virtutis, cum quidam alteratur, aut cum aliqua pars corporis, puta cor, epar, ſtomachus, vel aliqua alia pars corporis, quæ eſt principium operationis, vel organi, ſicut quando inſtrumentum operationis virtuoſę, alteratur ſecundum qualitatem corporalem, & ſenſibilem, fit receptio virtutis, & redditur aliquis promptus ad agendum virtuoſe, vel malitioſe, tamen non alteratur ille aliqua alteratione, pręter illã, quę eſt ſecundũ ſenſibilẽ qualitate,& ſecũdum virtutẽ,& non alteratur niſi ſolum alteratione, quę eſt ſecundũ qualitatẽ corporalẽ,& hęc eſt intẽtio Ariſt. Et ſufficit quomodo ad virtutes, & malitias nõ eſt alteratio; ſcire autẽ quomodo virtus eſt quędã perfectio, & quando cõtingit in voluptatibus, & triſtitijs, & alia, quę tangit Philoſ. vbi prius, magis ſpectant ad ſcientiam moralem.

Cap. Vigeſimum primum.

PARS autem animę ſecundum Ariſt. nõ alteratur ſecundũ habitus intellectionis, quod non eſt abſolute intelligendum, quaſi negaret omnẽ qualitatẽ poſſe acquiri de nouo in intellectu, hoc enim videtur cõtra rationem, & auctoritatẽ. Primo dico cõtra rationẽ, quia ſicut probatum eſt prius, actus tam appetitiuus, quam cognoſcitiuus intellectus eſt qualitas exiſtens in intellectu, igitur eſt ibi qualitas. Similiter ex actibus intellectus derelinquitur aliquid inclinãs ad actus cõſimiles, ſed illud vocatur habitus, igitur habitus eſt qualitas & per cõſequens ibi eſt alteratio large accepto hoc vocabulo. Similiter auctoritate T. com. 54.
Phil. qui dicit in 2. de Anima: quod hic qui fit ſciens actuatus per doctrinã alteratus eſt, & multũ ex cõtrario mutatus in habitũ, patet igitur, quod qui per doctrinam aliquid de nouo addiſcit vere alteratur, & ita nõ eſt intentio Phil. negare omnẽ alterationẽ in parte intellectiua. Dictũ autem Ariſtot. poteſt intelligi multis modis, vno modo ſecundũ opinionẽ ponẽtium intellectũ incorruptibilẽ, quod in parte intellectiua nõ eſt qualitas corruptiua ſubſtãtię. Alio modo poteſt intelligi ſecũdum opinionẽ Philoſophorũ, qui poſuerunt intellectũ pręhabere ſcientiam, & illo modo eſt poſſibile, & per conſequens ſecundũ tales habitus nõ alteratur, quid de nouo. Tertio modo, quod alteratio nõ eſſet prius in parte intellectiua: ſed ſequitur alterationẽ corporalẽ, & eam preſupponit. Quarto quod ibi nõ eſt alteratio ſucceſſiua; ſed tantũ ſubita. Quinto, quod ſẽper intellectus diuerſimode denominatur alteratus, imo poſſibile eſt, quod intellectus primo ſit verus, & poſtea falſus, ſine omni alteratione, & quod poſſit eſſe ſciens, & poſtea non ſciẽs; large accipiendo ſciens ſimiliter ſi credis Sortẽ ſedere, quãdo ſedet, nõ erras, ſed ſi ſic accipiẽdo ſcire pro alicui hęrere, ſicut dicuntur illa ſciri, quę teſtimonio aliquorum addiſcimus. Si tamẽ habes illam adhæſionem Sorte ſurgente, fis errans, & ita de facto erras ſine omni alteratione, ſed propter ſolam mutationẽ Sortis, & per conſequens non oportet, quod aliquis ad hoc quod fiat de nouo ſciẽs alteretur, & in hoc fundatur ratio principalis Phil. quæ talis eſt; ſciens eſt ad aliquid, ſed ad aliquid nõ eſt alteratio, ergo &c. Sciens enim ſẽper dicit verũ in obliquo, nihil enim ſcitur niſi verũ, & ideo eſt ad aliquid. propter quod non eſt alteratio ad ſcientiam, ſeu ſecundũ ſcientiã. Secũda ratio Phil. quia probat ad ſcientiam non eſſe per ſe motum, de[illegible]lici-

ter

ter fit. Vno modo ſic, ad illud, quod præſupponit quietem non eſt motus, ſed ſcientia, & prudentia preſupponūt quieté, ergo &c. anima enim quieſcēdo à laboribus & anguſtiis, & tribulationibus fit prudens, quæ ratio, quomodo ſit intelligenda, patuit 7. Phy. Secūdo modo fit ſic ratio, ad illud, quod preſupponit motum aliorū ſenſuum, non eſt primo motus, ſed ſic eſt de ſcientia, igitur non eſt reſpectu ſciétię alteratio in anima intellectiua, ſed preſupponit alterationem in corpore, vel in ſenſu: vniuerſaliter enim verum eſt, quod nunquá mutatur nouiter pars intellectiua ad aliqué habitū, niſi prius aliqua alteratione alia in aliquo facta ſit, quod qualiter fiat in tractatu de anima habet videri. Hoc autem puto eſſe de mente Ariſt. quod actus, & habitus acquiſiti ex actibus ſunt quædam qualitates inhęrentes, & per conſequens ſecundum eaſdem anima alteratur, large accipiendo alterationé, pro inductione cuiuſcunq; qualitatis diſtinctę à ſubiecto &c.

Cap. Vigeſimum ſecundum.

SVBIECTVM alterari ſecundum qualitates ſenſibiles non poteſt aliter, quam per experientiam probari. Vnde per experientiam ſcimus, quod aliquid de calore alteratur ad frigus, & è conuerſo, & ſimiliter de albedine ad nigredinem, & è conuerſo, & ſic de aliis conſimilibus qualitatibus. Et ſecundum illas qualitates non ſolum eſt alteratio qualiſcumqué, ſed eſt ſecundum eas ſucceſſio, & alteratio, quæ eſt de contrario in contrarium, ſicut de dulcedine ad amaritudinem, & de albedine ad nigredinem. Sed de iſta alteratione eſt vna difficultas ſpecialis, quæ in aliis motibus, & mutationibus non habet locum. Eſt autem difficultas hæc.

Quo quomodo fiat intenſio, & remiſſio in qualitatibus. Quando aliquid alteratur de contraria qualitate in contrariam qualitatem, an ſimul expellantur, aut vna qualitas introducatur in alia, ita quod illæ qualitates ſecundum gradus remiſſos ſimul maneant. Et videtur aliquibus, quod ſic, pro quibus poſ-

T. com. 32. ſunt adduci rationes, & auctoritates. Dicit enim Phi. vj. Phyſic. omne quod mouetur partim eſt in termino à quo, & partim in termino ad qué; ſed quādo aliquid alteratur de contraria qualitate in contrariam qualitaté, vna qualitas eſt terminus à quo, & alia eſt terminus ad quem, igitur dum tale mobile mouetur eſt ſub vtraq; qualitate. Item ſi non ſit ſub vtraq; qualitate, eſt dare inſtans, in quo ſit poſterior qualitas: accipio iſtum gradum qualitatis introductum, & quæro an ſit tantæ perfectionis, ſicut erit in alio inſtanti, aut maioris, non primum, vt experientia docet, ergo ſecūdum, tunc ſic, & non erit perfectius, aut intenſius, niſi per aduentum alterius qualitatis, ſecus ęqualis perfectionis cum eo, ergo cum inſtantia ſint infinita, fierent infiniti gradus æqualis perfectionis, & per conſequens totum reſultandum erit infinitum. Item nunquam eſt ſucceſſio in productione qualitatis, niſi per contrarium agens, vel per aliquam variationem circa cauſam agentem, vel agentes. Vnde formę quæ non habent contrarium ſimul, & ſubito inducuntur, poſtea non augumentatur, niſi per approximationem maiorem à corpore luminoſo factam, vel propter aliam cauſam aduenientem, & agentem, ſicut lux à corpore luminoſo non augetur ſi remaneat in æquali diſtantia, & non ſuperuenit aliquid luminoſum, igitur eodem modo ſi forma non pateretur ſecum ſuum cōtrarium, non plus augeretur poſtea, qua alia forma non habens contrarium, cuius oppoſitum experimur. Sed iſtis non obſtantibus oppoſitum tenendum eſt, nam ſi remaneant tales gradus remiſſi, puta gradus albedinis, quando dealbatum denigratur: ſequeretur, quod ſimul, & ſemel eſſet album, & nigrum, nam ille gradus eſt vera albedo, quia ſi ſit al quod oportet, quod ſit qualitas, ſiue gradus, & non niſi albedo, igitur eſt vera albedo, & per conſequens ſubiectum habens ipſum erit vere album. Et eodem modo gradus nigredinis eſt vera nigredo, & per conſequens ſubiectum informatum illo gradu eſt vere nigrum, & ita ſimul, & ſemel eſſet

Contrariæ qualitates, non admiſceri etiam ſecundum gradus remiſſos.

non coexiſtat qualitas ſibi contraria. De natura autem alterius qualitatis eſt, quod non poteſt ſic augeri ſine variatione cauſæ agentis, poſtquam ſemel eſt producta, & ita cauſam talem non poſſumus aſſignare, ſed tantum per experientiam fiunt nobis nota.

Cap. Vigeſimum tertium.

POSTQVAM autem viſum eſt ſecundum quæ Prædicamenta eſt motus, reſtat videre ſecundum quæ non eſt motus; probat autem Actor 5.Phy. quod ad ſubſtantiam non eſt motus, ſeu ſecundum ſubſtantiam. Cuius ratio eſt iſta, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, igitur ad ſubſtantiam non eſt motus. In iſta autem ratione antecedens videtur eſſe falſum, & conſequentia dubia Quod autem antecedens ſit falsũ, probatur, primo ratione, ſecũdo auctoritate. Ratione ſic, quia omnes formæ ſibi incõpoſſibiles ſunt cõtrariæ, quia omnis repugnantia eſt quędã oppoſitio, ſed formę ſubſtantiales multę ſunt oppoſitę, & ſibi incõpoſsibiles, igitur sũt cõtrarię, patet conſequentia, quia omnis repugnantia eſt quędã oppoſitio, ſi igitur repugnant, opponuntur: ſed non oppoſitione cõtradictoria, nec relatiua, nec priuatiua, ergo contraria. Itẽ probatur auctoritate. Quia vult Philoſ. in diuerſis locis, quod elemẽta ſint contraria, & tamen elementa sũt ſubſtantię igitur, &c. Quod autẽ conſequentia ſit dubia immo falſa, probatur, quia ſecundũ multa eſt motus, quę tamen non cõtrariãtur, quia ſecundũ luce eſt motus, cui tamen nihil contrariatur: quamuis enim lux poſſet fieri in inſtanti, tamẽ poſtea ſecundũ maiorẽ continuationẽ corporis luminoſi, & illuminabilis vere lux cõtinue, & ſucceſſiuè augetur, & ita eſt ibi motus, ſicut ergo illa cõſequẽtia nõ valet, luci nihil eſt contrariũ, igitur ſecundũ lucẽ non eſt motus, ita nõ valet cõſequentia hęc, ſubſtantię nihil eſt contrariũ, ergo ſecundũ ſubſtantia non eſt motus. Ad ſolutionem iſtorũ, & euidentiã rationis Ariſt. eſt primo videndũ, quę eſt ratio expreſſa, quare ſecundũ ſubſtantiã non eſt motus. Secundo quomodo ſubſtãtię nihil eſt contrariũ. Tertio quomodo valet cõſequentia Ariſt. Ex quibus concludetur ratio Phi. Ratio autẽ expreſſa quare ſecundũ ſubſtantiã nõ eſt motus, eſt ſuperius dicta, quia ſcilicet materia recipiẽs formã, non recipit eam ſucceſſiuè, ſed ſimul totam ſecundũ eandẽ partẽ. Vnde eadẽ pars materię tota formã ſimul recipit, & non partem ante partem, & ideo non mouetur ſecundũ formam, & per conſequens ſecundũ ſubſtantia nõ eſt motus. Ad ſciendũ autẽ quomodo ſubſtãtię nihil eſt contrariũ, neceſſaria eſt quędã diſtinctio de contrariis quę eſt, quod hoc nomẽ contrariũ eſt ęquiuocũ, quia aliquãdo dicitur de duobus terminis ſicut quãdo dicitur, quod cõtraria nõ prędicãtur ſimul de eodẽ, & quod albũ, & nigrũ sũt cõtraria, & huiuſmodi, & tũc eſt nomẽ ſecũdæ impoſitionis, vel intẽtionis Aliter dicitur contrariũ de re extra, ſicut quando dicitur, quod vnũ contrariũ expellit reliquũ, & cõtraria non poſsũt ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Et contraria ſic dicta multipliciter accipiuntur, ſed tamen ad pręſens dupliciter accipitur, ſcilicet large, & ſtricte. Large dicuntur omnes formæ contrariæ, quę poſſunt ſucceſſiue eſſe in eodem ſubiecto, & non ſimul, ſiue illæ formę ſint diuiſibiles, ſiue indiuiſibiles, & hoc intenſiue, vel extenſiue. Stricte dicuntur formæ contrariæ, quæ poſſunt ſucceſſiue eſſe in eodem ſubiecto, & non ſimul, & ſunt diuiſibiles ſecundum partes perfectionis indiſtantes loco, & ſitu. Et ad contraria ſic dicta ſequitur contrarietas largẽ dicta, quę eſt ſecundum priuationem, & habitum, quæ ſic eſt intelligenda, quod termini importantes talia poſſunt verificari ſucceſſiue, & non ſimul de eodem, cum iſtis aduerbiis magis, & minus, ſicut dicimus de aliquo primo, quod exiſtit minus album, & poſtea quod eſt magis album, & è conuerſo. Primo modo accipiendo contraria, ſubſtantię eſt aliquid contrarium, quia formæ aliquæ ſub-

5. com. 10.

An ad ſubſtantiã nõ ſit motus, quia careat contrario.

Quid prohibeat ad ſubſtantiã nõ eſſe motum.

Huius diſtinctionis cõtraria multiplicitas.

ſubſtantiales ſunt incompoſſibiles in eodē ſimul, & tamen ſucceſſiue poſſunt eſſe in eodē. Sed ſecundo modo nihil eſt cōtrariū ſubſtantię, quia nulla forma ſubſtātialis habet partes diſtinctas diuiſibiles ſecūdū partes perfectionis indiſtantes loco, & ſitu, & ideo nulli termini, importātes aliquam formam ſubſtantialē poſsūt ſimul, nec ſucceſſiuē de aliquo cū iſtis aduerbiis magis, & minus verificari. Ex iſtis patet quomodo cōſequentia Ariſt. eſt bona, quia Philoſ. manifeſte accipit contrariū ſtricte pro re diuiſibili in partes indiſtantes loco, & ſitu incōpoſſibili alteri, & tūc clara eſt conſequētia, quia ſic nulli ſubſtantiæ eſt contraria alia ſubſtātia, quia ſubſtātia nō habet tales partes, igitur nō poſſunt ſucceſſiue acquiri, & per conſequens ſecundū eam non eſt motus, quia ſecundū nulla re eſt motus ſucceſſiuus, niſi quę poteſt ſucceſſiue acquiri. Ex hoc vltimo, necnon ex pręmiſſis patet quomodo ratio Phi. concludit, quia tenet virtute illius medij. Ad illud quod nō habet partes perfectionis indiſtantes loco, & ſitu nō poteſt eſſe motus. Ad rationes primo factas patet per iā dicta, quod non cōcludāt; pręcipue enim probant quod formę ſubſtantiales ſunt cōtrariæ accipiēdo cōtraria primo modo. Vltima vero ratio, quę probat quod conſequentia Ariſt. nō valet, nō concludit, quia quamuis ſequatur, ſubſtantiæ nihil eſt contrarium, ſic accipiendo contrariū, igitur ſecundum ſubſtantiā non eſt motus, quantumcunq; tamen habeat contrariū primo modo, hoc eſt, habet formā aliquam ſibi incompoſſibilē in eodem ſubiecto, nō tamen tenet de forma non habente formam ſibi incompoſſibilē, cuiuſmodi eſt lux. Quia manifeſtum eſt, quod formę ſubſtantiales ſunt incompoſſibiles, ideo illud non expreſſit Philoſophus, ſed ſubintellexit,

Cap. Vigeſimum Quartum.

T. com 10. An ad relationem fit motus.

NON ſolum autē probat Philoſophus 5. Phy. quod ſecundum ſubſtantiam non eſt motus; ſed etiam, quod nec ſecundū ad aliquid. Et ratio eſt iſta, quia alterū relatiuorū verificatur de aliquo propter mutationē alterius, ſine omni mutatione in eo, igitur ad aliquid nō eſt motus. Ad euidentiā iſtius rationis eſt ſciendū quod ſecundū opi. Phi. ad aliquid non eſt aliqua res adueniēs realiter informatiuē illi, de quo nomen relatiui verificatur, ſicut ſimilitudo non eſt res adueniens illi rei, quæ eſt ſimilis; ſed ad aliquid eſt nomen ſignificans vnam rem in recto, & aliā, vel eandem in obliquo, ſicut ſimile ſignificat vnā rem in recto, quæ eſt ſimilis, & in obliquo ſignificat aliā rem, cui eſt ſimilis, & iſtis duabus rebus poſitis ſine omni alia re media verè vnū eſt ſimile alteri, ſicut ſi ſint duo alba abſq; omni re media, vnū eſt ſimile alteri. Vnde ipſa eſſe ſimilia non eſt aliud, quam ipſa eſſe alba, & quod ſicut vnum eſt album, ita & reliquū eſt albū. Et hoc viſo ſciendum eſt quod Philoſophus probans quod ad aliquid non eſt motus, nō intēdit probare niſi quod res poteſt dici de nouo ſimilis, vel aliquid huiuſmodi reſpectu alterius, ſicut quod aliquid poteſt dici pater, vel ſimilis, vel æqualis alteri de nouo, ſine motu illius rei importatę, ergo ad relationem non eſt motus. Et hoc antecedens, & cōſequentia probatur ſic, Alterū relatiuorū poteſt verificari de aliquo propter ſolā mutationē alterius, igitur ad hoc quod relatio verificetur de nouo de aliquo, nō eſt neceſſe illud moueri, cōſequētia patet, antecedens probatur per plura exempla. Patet enim quod ſi Sor. ſit modo albus, & Plato niger, ſed poſtea Plato fiat albus, Sor. ſine omni mutatione ſui per ſolā mutationē Pla. fit ſimilis Platoni. Similiter nato filio fit aliquis pater ſine omni mutatione ipſius propter ſolā filij mutationem. Similiter ſi lignum bipedale ſit æquale alteri ligno bipedali, & illud aliud fiat maius, aut minus, ſtatim hoc lignum bipedale fit inæquale alteri propter ſolam mutationem alterius. Ex iſtis patet manifeſtē eſſe de intentione Ariſt. quod ſimilitudo non eſt res adueniens ſimili. Tūc enim impoſſibile eſſet, quod aliquid fieret de nouo ſimile ſine mutatione, quia ex quo res noua aduenit, vere acquirit aliquid, igitur vere eſt ibi mutatio acquiſitiua. Et

Res relatiua non eſt alia res ab abſoluta.

codem

eodem modo ſi deſineret eſſe ſimilis propter mutationem alterius, vel corruptionem, ita quod vere perderet rem prius habitam, vere mutaretur, & ideo ſequeretur, quod ſecundum relationem eſſet motus ſucceſsiuus, & quod partibiliter acquireretur relatio. Nam ſi Sortes intenſe ſit albus & Plato remiſsè, & poſtea cõtinue augeatur albedo in Platone, & ita vere ſimilitudo Sortis cõtinuè ſucceſsiuè, & partibiliter acquireretur, & per conſequens eſſet verè motus ad relationem, quod eſt cõtra intentionem Ariſt. expreſſe. Et ideo ſecundum cum relatio non eſt aliqua res extra adueniens alteri. Sed relatio vel eſt ipſa res extra ſecundum modum dicendi aliquorum, vel eſt tantum nomen relatiuũ. Secundum primos debet dici quod vere, & realiter ad relationem quãdoq; eſt motus, tamen non eſt neceſſarium, quod quando aliquid fit relatiuũ, quod ipſum moueatur, quia hoc poteſt fieri per ſolam mutationẽ alterius, & hoc ſufficit pro cõcluſione Phi. ſed ſecundum ſecundos eſt aliter ſentiendum. Eſt igitur aduertendum quod quædam relationes poſſunt aduenire de nouo, non per realem informationem, ſed per prędicationem, & mutationem illius rei, & abſq; mutatione eius, ſicut Sor. poteſt fieri ſimilis Platoni per mutationem Sort. & per mutationem Plat. & nõ aliter. Quãdoq; autẽ poteſt aduenire alicui bene per talẽ prędicationem, nec per mutationẽ eius de quo dicitur, nec illius ad quod dicitur, ſicut pecunia fit pretiũ rerũ venaliũ, abſq; mutatione pecunię, & rerũ venaliũ, ſed nõ abſq; mutatione ementis, vel vendentis, & ordinãtis pecuniã eſſe pretiũ venaliũ. Alia autẽ relatio non poteſt verificari de nouo abſq; mutatione illius quod importat in recto, ſicut eſt in illis, filius, motus, creatura, & huiuſmodi. Hoc tamẽ ſufficit pro intentione Phi. quod nõ eſt neceſſariũ aliquid moueri ex hoc quod tale relatiuũ ſibi cõpetit. Et ſi pro [illegible] quod ſaltẽ quandoq; neceſſe eſt moueri, cõcedi poteſt. Et poteſt etiam dici de virtute ſermonis quod quãdoq; neceſſe eſt moueri, ſed tunc non mouetur motu diſtincto ab alteratione, nec à motu locali, augumentatione, vel diminutione. Vnde impoſsibile eſt quod hoc relatiuũ alteratũ, verificetur de aliquo de nouo niſi ipſum moueatur: ſed non mouetur, niſi motu alterationis, & hoc ſufficit Philoſ. quia non intẽdit aliud probare, niſi quod omnis motus, vel eſt motus alterationis, vel localis, vel ad quantitatem modo prę expoſito. Et T. com. 10 poſt prędicta concludit Philoſ. Quare ſecundum accidentia horum non eſt motus. Quod dupliciter debet intelligi, vno modo quod quandoq; poteſt aliquid fieri denominatiuè ab aliquo relatiuo propter motũ ipſius, ſed hoc eſt ſecundum accidens, quia ita poteſt fieri ſine mutatione ipſius propter motum alterius. Alio modo poteſt intelligi, quod quando relatio non aduenit alicui aliquo modo, niſi aliud moueatur, tamen ille motus eſt ſecundum qualitatẽ, vel locum, vel quantitatem, quare, &c.

Cap. Vigeſimum quintum.

NVNC videndum eſt an ſecundum actionem, & paſſionem ſit motus. T. com. 10. Probat autem Ariſt. quinto Phyſic. quod nec agentis, nec patientis, & nec moti, & nec mouentis eſt motus. Et ſimiliter quod Quod ad actionem, generationis non eſt generatio, nec corru- & paſſionẽ ptionis corruptio. Et hanc concluſionem non ſit mo- probat ſic: Si motus eſſet motus, aut ſicut tus. ſubiecti, aut ſicut termini, ſed neutro modo, igitur motus non eſt motus, minor eſt manifeſta, primam partem minoris, ſcilicet motus non eſt motus, ſicut ſubiecti hoc eſt quod motus non mouetur probat Phi. [illegible], quia motus non augmentatur, nec diminuitur, nec calefit, nec frigefit, & ſic de aliis. Secundam partem eiuſdem probat Phi. ſcilicet quod motus nõ eſt motus, ſicut termini, quia nunquã poſt vnum motum alicuius eſt alius motus, niſi ſecundum accidens, igitur per ſe motus nõ eſt ad motum [illegible] motus. Similiter motus ex [illegible] in contrarium. Si igitur aliquis mutetur ex ſanitate in ægritudinem, ſi ille motus ſit ad alium motum, ſicut ad terminum, & non poteſt eſſe ad

ſeipſum,

ſeipſum, igitur ad alium, & ille alius motus non poteſt eſſe, niſi mutatio ab ægritudine ad ſanitatem, igitur ſimul moueatur motibus contrarijs. Ad idem ponuntur rationes generales, quia ſi motus eſſet motus, & generationis generatio, tunc eſſet proceſſus in infinitum, quia prima generatio generaretur ab alia, & illa alia ab alia, ſic in infinitum, ergo &c. Item loci mutio, neq; alteratur, neq; augetur, nec mouetur localiter, & eodem modo eſt de aliis igitur &c. Ad euidentiam iſtarum rationũ eſt ſciendum, quod Phil. intendit illa concluſionem, quod quando aliquid mouetur ſecundum alterationem, vel ſecundum loci mutationem, vel ſecundum quãtitatem, quod illa alteratio, vel motus ſecũdum locum, vel ſecundum quantitatem non mouetur aliquo motu, nec ad alium motum, ſicut ad terminum. Et ſimiliter quãdo aliquid generatur illa generatio, non generatur alia generatione, & quando aliquid corrumpitur, illa corruptio non corrumpitur alia corruptione. Sed quando aliquid mouetur, tantum eſt vnus motus, niſi forte per accidens ſit exiſtens alius motus ibi. Et quando aliquid generatur tantum eſt ibi vna generatio, & non plures. Ex quibus omnibus patet, quod motus, & generatio non ſunt aliæ res à rebus permanentibus. Si enim eſſet motus, ſeu generatio alia res à rebus permanentibus, & partibiliter acquireretur, & ſucceſſiue: quo poſito ſequeretur, quod eſſet ibi duo motus, vnus quo partibiliter acquiritur res permanens, & alius quo partibiliter acquiritur res ſucceſſiua. Et idem eſt de generatione, quia ſi eſſet alia res, eſſent ibi duæ generationes, vna qua res permanens generaretur, & alia qua res tranſiens generaretur, & ita eſſet proceſſus in infinitum. Et ſi dicis quod ille motus non acquiritur alio motu, nec illa generatio alia generatione, hoc non valet, quia tunc ratio Ariſt. non valeret. Similiter eadem ratione dicatur, quod eſt ſtandum in primo, ſcilicet quod ſine omni alia re, ipſa res permanens ſe ipſa acquiritur. ex hoc, quod vna pars eius acquiritur ante aliam & ita fruſtra ponitur talis alia res diſtincta a re permanente.

Cap. Vigeſimumſextum.

Quod in quatuor vltimis prędicamẽtis nõ ſit motus.

DE alijs Prędicamentis omittit Ariſt. oſtendere an ſecundum ea ſit motus, & hoc, quia de eis ſatis poteſt ſciri ex prędictis, quod ſecundum ea non eſt motus. Sicut enim aliquis fit ſimilis ex hoc solummodo, quod aliud alteratur, & propter hoc, videtur, quod ad aliquid non eſt motus, ita ſimiliter aliquid fuit hodie, & verum eſt dicere, quod erit cras ab q; omni mutatione ſui per hoc ſolum, quod primũ mobile mouetur. Et ideo licet illud, quod eſt hodie, & erit cras, moueatur, non mouebitur, niſi ſecundum alterationem, vel loci mutationem, vel ſecundum quantitatem, & per conſequens ad hoc, quod ſit hodie, & erit cras, non requiritur ipſum moueri motu diſtincto ab alteratione, & cęteris motibus, ſed ſufficit, quod primum mobile moueatur localiter. Ex quo manifeſte patet, quod quando non ſignificat rem aliquam derelictam in iſto ex tempore, ſed ſignificat, quod exiſtat, quando primum mobile ſecundum ſuas partes eſt in tali ſitu, vel in tali. Si enim eſſet aliqua talis res derelicta, tunc neceſſario illud moueretur ſecundum talem rem, quia continuè acquireret nouam rem talem, ſicut mobile localiter continue acquirit alium, & alium locum. Et ſi dicitur, quod non eſt motus, quia non acquiritur res abſoluta, ſed tantum reſpectiua, hoc non valet, quia eadem ratione diceretur, quod ſecundum quãtitatem non eſt motus, quia non acquiritur ſubſtantia, vel ſecundum locum non eſt motus, quia non acquiritur quantitas, & ſic nihil valeret totus proceſſus Phil. Dicendum eſt igitur ſecundũ Phil. quod vbicunque poteſt acquiri continuè & ſucceſſiuè aliquid, ibi verè poteſt eſſe motus, & ſi diſtincta res acquireretur taliter, qualiſcunq; ſit illa res, ibi erit motus diſtinctus, patet ergo quod ſecundum quando non eſt motus. Item nec ſecundũ habi-

habitum, quia aliquis poteſt dici armatus, vel calciatus propter ſolam mutationem armorum, vel calciamētorum. Si enim debita circa illum arma, vel calciamenta diſponerentur, vere calciatus, & armatus diceretur. Idem eſt de poſitione, quod ſi aliquis ſurgit, qui ſedebat propter ſolum motum localem partium eius. Ex quibus patet, quod habitus, & poſitio non ſignificāt res alias ab illis, quibus inſunt ſecundū prędicationē, ſicut aliqui imaginātur, quia tūc ſecundum eos neceſſe eſſet eſſe motus.

Cap. Vigeſimum Septimum.

Sermo quod actio & paſſio nō ſi ſic res diſtinctę ab agentibus, paſsis.

QVIA vero quando aliquid mouetur, aliquid agit, vel patitur, & ideo poſt cōſiderationem de motu dicendum eſt de actione, & paſſione. De quibus ſecundum Ariſt. dicendum eſt quod non ſunt res diſtinctę a rebus agentibus, & patientibus aduenientes eiſdem de nouo, quando de nouo agūt, vel patiuntur, hoc enim impoſſibile eſt apud Ariſt. nam tunc quandocunq; Sol illuminaret domum aliquam de nouo, ipſi Soli acquireretur aliqua res noua, quod eſt abſurdum. Dicēdum eſt igitur, quod magis propria locutio eſt illa, quæ eſt per huiuſmodi vocabula, agit, patitur, agens, patiens, quam per iſta, actio, paſſio. Et ideo locutiones in quibus ponuntur iſta vocabula, actio, & paſſio, ſunt intelligendæ ſicut illę in quibus ponuntur iſta agens, patiens, actiuum, & paſſiuum, & his ſimilia, & ſicut quando dico, quod agens facit effectum, vel actum in paſſum, ita & quando dicitur, quod actio eſt actus patientis, & non agentis, debet ſic intelligi, quod quando agens agit, non facit aliquid in ſe, ſed in paſſo, niſi forte ſit idem agens, & patiens, vnde iſta duo vocabula, actio, & paſſio eundem actum ſignificant, ſed actio ſignificat eundem actū eſſe ab agente, & paſſio ſignificat illum actum eſſe in patiente. Secundum iſtum modum loquendi actio, & paſſio ſunt vnus motus & vnus actus. Vt ſic motus, vel actū dicant pręcisè formam, vel rem partibiliter acquiſitam, ſed actio ſignificat eandem formam, dando intelligere illam eſſe ab agente, paſſio vero dicit eandem connotando ipſam eſſe in paſſo. Nec obſtat, quod actio, & paſſio ſint diſtincta Prædicamenta, quia dico, quia iſta prædicabilia ſunt diſtincta, quamuis aliquid idem ſignificent, tamen cum hoc aliqua diſtincta ſignificant. Actio enim ſignificat agens, quamuis ſignificet actum, & paſſio ſignificat paſſum, quamuis ſignificet actum eundem, & ita ſignificant aliquid idem: quamuis cum hoc ſignificet aliqua diſtincta, & ideo poſſunt eſſe diſtincta Prędicamenta. Vnde iſta verba ſunt diſtincta, & non ſynonima, calefacere, & calefieri, & tame vtrunq; ſignificat calorē, ſed vnum ſignificat illum eſſe a calefaciēte, aliud ſignificat eundem eſſe in calefacto. Quare autem agens aliter competat mouenti localiter, & alteranti, & producenti, & ſimiliter patiens aliter competat moto localiter, & alterato, & producto hoc tactum eſt prius.

Cap. Vigeſimum Octauum.

Sermo de quiete.

QVIA eadem eſt contrariorum diſciplina, & quies contrariatur motui iā cognoſcendum eſt de quiete. Et primo quid ſit quies. Secundo quomodo contrariatur motui. Eſt autem ſciendū quod quies nō eſt quędam res inhęrens, vel adueniens illi quod quieſcit ad modum, quo albedo inhęret illi, quod eſt album. Sed tunc dicitur aliquid quieſcere, quando, nec acquirit, nec deperdit aliquid de nouo. Vnde ſi nihil acquirit, nec aliquid deperdit tunc quieſcit, & ideo dicitur priuatio motus, quia, quod mouetur aliquid acquirit, vel deperdit, illud aute m quod quieſcit nec acquirit, nec deperdit aliquid. Propter quod, ſicut priuatio ſecundum quod viſum eſt prius non eſt aliqua res inhęrens illi, quod priuatur: ita nec quies, ſed ſicut ſecūdum aliquos priuatio eſt priuatum, ita quies eſt quieſcens. Et ex iſto patet quomodo quies cōtrariatur

motui, quia non contrariatur ſibi ſicut res res rei, quia iſta contrarietas ſumitur inter terminos, qui ſignificatiuè ſumpti nõ poſſunt ſimul verificari de eodem, ſed ſucceſſiue tantum, quia nõn eſt poſſibile, quod idem ſimul moueatur, & quieſcat, ſed tantũ ſucceſſiuè poteſt idẽ quieſcere, & moueri, & è conuerſo, & ita non eſt contrarietas rerum exiſtentium, ſed tãtum eſt contrarietas ſignorum. Sicut vniuerſaliter verum eſt de oppoſitione contradictionis, & etiam relatiuę oppoſitionis ſecundũ Philoſophum. Nec eſt mirandum, quod oppoſitio ponitur competere terminis, cum prædicari, & inferri, & huiuſmodi tribuantur oppoſitis, quæ tamen non poſſunt cõpetere, niſi terminis tantũ, & nõ rebus, quę nõ ſunt ſigna. Vnde dicitur, quod alterum cõtradictoriorum dicitur de quodam, & nihil prædicatur niſi ſignum, & non res extra, ſic ergo quieſcere, & moueri ſunt cõtraria. Eſt tamen ſciendũ, quod non omne quieſcere opponitur omni moueri, quia poſſibile eſt, quod aliquid quieſcat localiter, & moueatur ſecundum qualitatem, & è contra. Vnde quis motus contrarietur quieti, patebit inferius.

Cap. Vigeſimum nonum.

Sermo in vnitate motus.

DICTO de ſpeciebus motus, & in quibus generibus eſt motus. Vidẽdum eſt de vnitate motus, quis ſcilicet motus dicatur vnus, & qualiter, & de cõtrarietate motuum, & quietis, & de comparatione motuum ſecundum velocitaté, & tarditatem, & de motu naturali, & violento. Circa autem vnitaté motus eſt aduertendum, quod aliqui motus dicuntur vnũ genere, aliqui vnum ſpecie, & quandoq; vnum numero. Illi dicuntur vnum genere, qui ſunt ſecundum rem vnius Prædicamenti, ſicut motus ad locum dicuntur vnum genere, & ſic de aliis. Motus autem dicuntur vnum ſpecie, qui ſunt ad terminos eiuſdem ſpeciei, vnde ſicut omnis loci mutatio eſt eadem genere omni loci mutationi, & omnis alteratio eſt eadẽ genere omni alterationi, ità omnis denigratio eſt ſpecie eadem omni denigrationi, & omnis dealbatio omni dealbationi. Sed ſciendum eſt quod ſi aliqua, quæ poſſunt acquiri per motum, diſtinguuntur ſpecie, & tamen coueniunt in aliquo prædicato generico ſubalterno, illi motus poſſunt dici vnum ſpecie, & etiam diuerſi ſpecie; ſicut omnis doctrinatio eadem ſpecie ſubalterna eſt omni doctrinationi, & tamen vna doctrinatio differt ſpecie ab alia, ſecundum quod ſcientię differunt ſpecie, ſicut omnis coloratio eſt eadem ſpecie ſubalterna omni colorationi. Ad quod eſt notàndum, quod vnitas motus ſpeciei ſpecialiſſimę non attenditur ex vnitate vltimi termini; ſed attenditur ex omnibus, ſecundum quæ eſt motus. Quia ſi aliquod mobile moueatur ſecundum aliquem locum per lineam rectam, & idem, vel aliud ad eundem locum moueatur per lineam circularé, vel per ſpacium tortuoſum illius, motus non ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, quamuis non ſit diſtinctio ſpecifica in vltimo termino. Et propter hoc: quia intermedia loca diſtinguũtur ſpecie, vnus motus eſt rectus, & alius circularis, vel obliquus. Eſt tamen ſciendum, quod iſta diſtinctio ſpecifica recta, & circularis non eſt rerum, quæ non ſunt ſimilis naturæ, & ita nulla ſpecies meré abſoluta eſt ibi diſtincta ab alia communis illis, cum illæ ſpecies importantes illas res tãtum ſint connotatiuę, ſicut curuum, & rectum dicuntur ſpecies diuerſæ in genere qualitatis, & tamen illis correſpõdet eadẽ ſpecies in genere ſubſtantię, ſicut quandoq; illa quę continentur ſub diuerſis ſpeciebus in genere ſubſtantię, cõtinentur ſub eadẽ ſpecie in genere qualitatis, ſicut patet de lapide recto, & ligno recto, quæ in genere ſubſtantię continentur ſub diuerſis ſpeciebus, in genere autem qualitatis ſub vna, ſcilicet ſub recto, tamen illa ſpecies non pręedicatur de eis in quid, nec hoc eſt in cõuenientes de ſpeciebus cõnotatiuis, & relatiuis. Vnde diſſinitio data in Libro Porphyrij de ſpecie eſt intelligẽda de ſpecie merę abſoluta, ſimiliter, & diſſinitio

ge-

Quę exigat Vnitas naturalis motus.

generis. Ad hoc autem quod aliquis motus ſit vnus numero, tria requiruntur, ſcilicet vnitas numeri illius, quod mouetur. Si enim duo moueantur, illorum non eſt vnus motus numero. Requiritur etiam vnitas termini ad quem. Si enim aliquid moueatur ad albedinem, & localiter, nō eſt vnus motus numero. Tertio requiritur vnitas temporis cōtinui ſine interruptione. Si enim aliquid moueatur modo, & poſtea quieſcat, & poſtea iterum moueatur, non eſt vnus motus numero. Intelligendum quod non intendit Philoſ. quod illa tria cōcurrant ad vnitatē numeralem motus tanquam ad vnitatem alicuius rei totaliter diſtinctę ab illis rebus permanētibus, ſed intendit quod omnia iſta cōcurrunt ad diffinitionem exprimentem quid nominis iſtius complexi, motus vnus numero, vt eius ſit diffinitio iſta. Motus vnus numero eſt, quando mobile idem numero mouetur ad vnum terminum tempore nō interrupto. Addit autem Philoſ. quod motus vnus numero eſt duplex regularis, & irregularis.

Motus regularis, & irregularis

Motus irregularis ex duplex. Quidam enim eſt ex irregularitate magnitudinis, ſuper quam ſit motus, ſicut eſt in motu reflexo, & obliquo. Alio modo dicitur irregularis ſecundum velocitatem, & tarditatem, quia ſcilicet vna pars motus eſt velocior, & alia tardior, hoc eſt mobile mouetur velocius in vno tēpore, & in alio tempore tardius. Motus regularis eſt qui fit in vna magnitudine vniformi, & eſt ęque velox in omnibus partibus hoc eſt, mobile mouetur in magnitudine vniformi, & ęque velociter in omnibus partibus temporis, quouſq; durat ille motus, cuiuſmodi eſt motus corporis cęleſtis, qui eſt vniformis, & regularis.

Cap. Trigeſimum.

Sermo in motuum contrarietate.

DICTO de vnitate motus, dicendū eſt de cōtrarietate motuum. Ad cuius euidentiam ſunt aliqua pręmittenda. Eſt autem primo ſciendum quod quamuis in rei veritatē, quādo aliquid mouetur de vna qualitate contraria ad aliam contrariam ſint ibi diuerſi motus, ſcilicet expulſiuus vnius qualitatis, & poſtea introductiuus contrarię, tamen illi duo motus vocantur vnus motus, quia neceſſario ſe concomitantur, ita quod vnus non poteſt eſſe ſine alio cōſequente: Si enim aliquid mutatur ab albedine ad nigredinem, & cōpleatur, ille motus neceſſario eſſet motus acquiſitiuus nigredinis, aut alicuius alterius medij coloris, eo quod illud mobile non poteſt eſſe ſine omni colore, & propter hoc dicitur eſſe vnus motus. Aliud eſt notandū, quod quādo aliqua contraria habent mediū ab vtroq; extremo, poteſt eſſe motus ad illud, ſicut poteſt aliquid alterari ad rubedine, tam ab albedine, quā a nigredine. Et dictus motus, qui eſt ab vtroq; cōtrario eſſet idem pro quāto plus reſpicit terminū ad quem, quam terminū à quo, vt dicit Phil. 5 Phy. Tertio ſciendū, quod contrarietas motuū dupliciter accipitur. T. com. 4. Vno modo pro omnibus motibus incompoſſibilibus. Et ad videndum qui motus ſunt cōtrarii, nō oportet niſi videre qui motus non poſſunt ſimul cōuenire eidem. Aliter dicuntur motus contrarii, quando iſti motus expreſſe exprimunt terminos contrarios, ad quos ſunt, ſicut ſanari, & ægrotari ſunt motus contrarii. Primo modo motus ex vno gradu ad alium intenſiorem, & ex contrario in contrariū ſunt cōtrarii pro quanto non inſunt ſimul eidem, quamuis vnus ſequatur alium, vnde cum contraria nō poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto, non poteſt ſimul in eodem ſubiecto diminui vna qualitas, & alia augeri, ſcilicet cōtraria. Secundo modo ſunt contrarii motus ad terminos contrarios, ſicut motus ſurſum, & motus deorſum, ſicut dealbatio, & denigratio, & calefactio, & frigefactio. Similiter eſt de generatione, & corruptione, quod propriè ſunt contraria. Diuerſi autem motus diuerſorum generū non contrariantur, ſicut vnus motus localis talis nulli contrariatur alterationi. De quiete autē dico, quod quietes in contrariis terminis cōtrariantur, ſicut quies ſurſum, & quies deorſum contrariantur.

Similiter quies ſecundùm albedinem, & nigredinem, contrariantur. Secundario autem quies contrariatur motui ad terminum contrarium, pro quanto non poſſunt eidem competere, ſicut non poteſt aliquis moueri deorſum, & quieſcere ſurſum, nec poteſt aliquis quieſcere ſub albedine, & denigrari. Et hæc de contrarietate motuum, & quietum ſufficiant. Niſi quod hoc eſt ſciendũ quod non eſt contrarietas motuum tanquam diſtinctarum rerum totaliter a rebus permanentibus; ſed magis eſt contrariorum terminorum, qui ſimul non poſſunt verificari de eodem, quod tamen oritur à re, ſicut ab eo, quod res eſt, vel nõ eſt, dicitur oratio vera, vel falſa.

Cap. Trigeſimum primum.

Sermo in comparatione motuum ſecũdum velocitatem, & tarditaté.

POST contrarietatem motuum videndum eſt de cõparatione motuum ſecundum velocitatem, & tarditaté. Eſt autem ſciendum quod non omnes motus ſũt ad inuicem comparabiles ſecundum velocitatem, & tarditatem, ſicut motus localis non eſt velocior, nec tardior alteratione, nec motus calefactionis eſt velocior, vel tardior motu recto ſecundum Philoſoph. & huiuſmodi. Eſt autem ſciendum, quod motus circularis dupliciter accipitur ſcilicet large, & ſtrictè. Strictè dicitur motus circularis, quando aliquid mouetur, & nõ mutat locum ſecundum totum, ſed ſemper manet in eodem loco. Largè dicitur, quãdo motum ſecũdum ſe totum mutat locũ, tamen mouetur ſecundum ſpatium circulare. Primus motus circularis nullo modo eſt cõparabilis, quia motui recto illi motus ſunt comparabiles, quorum vno pertraſitur maius ſpatium, quam alio, quod non poteſt accidere in propoſito quantum ad motum totius. Secundo modo motus circularis eſt in aliquo comparabilis recto, quia maius ſpatium poteſt eſſe vnum, quam aliud, quod poteſt ſtare ex hoc quod magnitudo, ſuper quam motus circularis dictus ſic fertur, poteſt fieri recta, & ita eſt maior, vel minor alia, & illo modo pars cęli circuit, & circulariter mouetur, & illo modo poteſt dici cęlum velocius, vel tardius moueri, eo quod pars eius ſecundum ſe totam mutat locũ; & ſic dicit Phil. 10 Metaph. quod motus diurnus, quia velocior eſt, eſt menſura aliorum motuum. T. com. 3. Vnde etiam dicere poſſumus, quod cælum velocius mouetur, quam graue, vel leue. Motus autem eiuſdem ſpeciei comparabiles ſunt, ſicut duo motus recti ſunt cõparabiles. Ille enim velocior eſt quo in æquali tempore pertranſitur maius ſpatium. Similiter duę alterationes eiuſdem ſpeciei ſunt comparabiles. Dealbatio enim qua aliquid dealbatur, eſt velocior alia, quæ non in tanto tempore acquirit albedinem ita intenſam, ideo dicit Phil. de generationibus eiuſdem ſpeciei, quod ſunt comparabiles, quod intelligendum eſt accipiendo generationem pro alteratione ſecundum qualitatem diuiſſibilem.

Cap. Trigeſimum ſecundum.

Sermo in motu naturali, & violento.

DE motu autem naturali, & violento eſt notandum, quod iſtę differentiæ non tantum inueniuntur in motu locali, ſicut dicimus, quod graue naturaliter mouetur deorſum, & violenter ſurſum, ſed etiam inueniſitur in alteratione, ſicut aqua nãliter frigeſit, & violẽter caleſit. Et ſicut aliquod mobile localiter quieſcit violẽter & aliquod nãliter, & ſicut idem quãdoq; quieſcit nãliter quandoq; violenter, ita eſt alteratione, nam aliquid naturaliter quieſcit ſub illa qualitate, ad quam naturaliter tranſmutatur, & violenter ſub illa ad quã violenter mouetur. Eſt autem aduertendũ, quod motus naturalis, eſt ille, qui eſt à principio intrinſeco actiuo, non enim ſufficit, quod ſit ſolum à prinipio paſſiuo intrinſeco, quia tũc quilibet motus eſſet naturalis. Motus enim grauis ſurſũ eſt à principio intrinſeco paſſiuo, & tamen non eſt naturalis, & ſic de quolibet alio motu violento. Sed ad hoc, quod ſit motus naturalis requiritur, quod ſit à principio intrinſeco actiuo, & hoc propriè, & ſtrictè accipiendo motum naturalem. Large vero accipiendo motum naturalem eſt ille, qui nõ

Quis motus proprie dicitur naturalis.

eſt

eſt contra inclinationem aliquam ipſius moti;& ſic motus corporis cœleſtis ab intelligentia poteſt dici naturalis,quia quãuis ſit ab extrinſeco, quia tamen non eſt contra inclinationem aliquam ipſius moti, ideo dicitur naturalis. Motus autem violentus eſt contra inclinationem moti. Ex quibus patet, quod multiplex poteſt dari differentia motuum. Quidam enim eſt motus, qui eſt à principio intrinſeco actiuo, ſine omni reſiſtentia actiua circa rem motam,& ille dicitur proprijſſimè naturalis, maxime quando illud principium eſt naturale,& côueniens moto ſicut eſt in grauibus,& leuibus. Alius eſt motus,qui eſt à principio extrinſeco actiuo contra inclitionem actiuam moti, ſicut quando graue mouetur ſurſum,& aqua calefit. In aqua enim eſt principiũ intrinſecum actiuũ inclinans contra calorem, in tantum quod ſi ſibi dimittatur, cauſat frigiditatem, & deſtruit,calorẽ,& iſte motus dicitur ſimpliciter violentus. Alius eſt motus qui nec eſt ſecundũ inclinationem actiuam moti, nec contra eius inclinationẽ, & talis eſt naturalis,accipiẽdo large naturalẽ motum. Ex iſtis aſſignatur triplex potentia a quibuſda naturalis,violenta,& & neutra. Et poteſt addi quod eſt aliquis motus ab aliquo principio actiuo, & contra aliud principium actiuum,ſicut eſt de motu progreſſiuo, & vocatur hoc principium intrinſecum, ſiue ſit ſubſtantiale,ſiue accidentale,dummodo non differt loco,& ſitu à moto. Forte aliqua alia multa poſſent dici, quæ quidem, vt credo,poſſent ad dicta reduci,& idcirco,quę credidi alicuius difficultatis,& vtilitatis, hęc vt potuĩ pertractaui, & declaraui,& idcirco ad pręſens,quæ dicta ſunt, ſatis ſufficiant de hac materia.

Explicit tertia pars Summularum in Libr. Phyſicorum Venerabilis Inceptoris Fratris Guilielmi de Villa Occham, Angliæ nominalium Principis.

INCIPIT QVARTA PARS SVMMVLARVM

In Lib. Phiſicorum.

Cap. Primum.

QVONIAM ſecundum Phi. tempus eſt motus, vel aliquid ipſius motus, ideo poſt conſiderationem de motu videndũ eſt de tempore. Ideo videndum eſt, quid ſit tempus, & quorum eſt tempus, & quomodo ſe habet cum alijs, quę ſunt ad temporis cognitionem. Antẽ quam videatur quid ſit tempus,videndum eſt quid non eſt inſtans,& quid non eſt tẽpus. Circa inſtans eſt opinio multorum, quod inſtãs eſt quędam res fluens, quę ſcilicet ſtatim corrumpitur, vel deficit, ita quod non manet. Vnde ponunt nonnulli, quod continuè ſit aliud,& aliud inſtans,& quod ipſum eſt quędam res quam impoſſibile eſt manere per tempus, imo dicunt quod diſtinguitur ab omni re permanente. Sed quod inſtans non ſit talis res: oſtendo. Primo ſic. Quia ſi inſtans ſit talis rẽs, ſequeretur, quod in quolibet tempore eſſet infinitę res ſecundum ſe totas diſtinctę, & nõ facientes vnum per ſe, probatur, quia quodlibet inſtãs eſſet ſecundũ ſe totum diſtinctum à quolibet alio, & nõ faciunt per ſe vnum, & etiam infinita inſtantia ſunt in quolibet tempore, conſequens eſt falſum, & impoſſibile, ergo &c. Secundo ſi inſtãs ſit talis rẽs ſtatim deſinens eſſe, vel ergo deſinit eſſe ad introductionem ſui contrarij,vel ad ſubtractionem ſuę cauſę, vel ad corruptionem ſui ſubiecti, ſed nullum iſtorum poteſt dari, ſicut inductiuè patet, ergo, &c. Tertio ſic, ſi inſtans ſit talis res indiuiſibilis ſtatim deſinens eſſe, cum non ſit ſubſtantia, vt manifeſtum eſt, igitur erit accidens, aut igitur accidens diuiſibile, aut indiuiſibile; non indiuiſibile: tum quia in iſtis corporalibus nihil eſt indiuiſibile, quod

In hoc ſermone deſtruitur eſſentia inſtantium.

quod poſſit eſſe ſubiectum talis accidentis, niſi forte anima intellectiua, de qua nõ dicunt prædicti quod ipſa ſit ſubiectũ inſtãtis. Tũ quia ſi eſſet ſubiectũ inſtantis diuiſibile, cũ non poſſit eſſe niſi in mobili, & cũ nõ eſt maior ratio, quare ſit in vna parte mobilis, quã in alia, erit in qualibet parte mobilis, & per conſequẽs eſſet ſimul idem in omni parte mobilis, ad modum quo anima intellectiua, ponitur a non nullis tota eſſe in toto corpore, & in qualibet parte, vel erunt diuerſa inſtantia in diuerſis partibus, quorũ vtrumq; eſt impoſſibile, nõ eſt ergo accidens indiuiſibile ſecundũ extenſionẽ, nec eſt accidens diuiſibile, quod ſit extenſum ad extenſionẽ ſubiecti, quia tũc eſſet longũ, latũ, & profundũ, quod videtur abſurdũ. Tũc etiam ſequeretur quod totũ cęlũ in quo ponitur ſubiectiue continue perderet, & acquireret aliquã nouam rẽ, ergo &c. Confirmatur, quia omnis res extenſa, vel eſt ſubſtantia, vel qualitas, cũ quantitas ſecundũ Philoſ. non ſit media diſtincta à ſubſtãtia, & qualitate. Si ergo inſtans ſit talis res, vel eſſet ſubſtãtia, vel eſſet qualitas, quod patet eſſe impoſſibile. Itẽ ſi eſſet talis res, corpus cęleſte verè ſecundũm eã tranſmutaretur, & ita in corpore cęleſti eſſet aliqua potẽtia, pręter illã, quæ eſt ad vbi, quia eſſet in potẽtia ad aliquã rẽ ſtatim corrumpendã, Item tertio, quia, ſi eſſet talis res, ſiue inextenſa, eſſet aliqua mutatio, quæ nec eſſet ad ſubſtantiam, nec ad qualitatem, nec ad quantitatem, nec ad vbi; quia illud inſtans, nec eſſet ſubſtãtia, nec quantitas, nec qualitas, nec locus. Nec valet dicere quod non eſt ibi mutatio, niſi ſecundum locum, quia quandocunquẽ acquiritur aliquid in aliquo, & mobile ſic ſe habet, quod ibi eſt aliud, & aliud, vere mouetur ad illud, & hoc adeo, quia quantumcunq; aliquid acquireret aliquam rem, & ſimiliter acquireret aliam, nec poſſet acquiri vna ſine alia, tamen illæ mutationes eſſent diſtinctæ, ſicut patet quia quantumcunq; aliquid moueatur localiter, & calefiat, nihilominus illa calefactio, & mutatio localis ſunt mutationes diſtinctę, & ſi non poſſent ſeparari in illo, adhuc tamen eſſent mutationes diſtinctę, ergo ſimiliter in corpore cęleſti, ſi ſimul cum loco acquireretur talis res diſtincta, quæ ponitur inſtans, eſſent diſtinctę mutationes, cum diſtincta ſint acquiſita. Confirmatur, quia in iſtis inferioribus, quamuis aliquid moueatur localiter, non acquirit talem rem, ergo vbi ſimul cum loco acquiritur aliqua res talis eſſet diſtincta numero, & ita eſſent plures mutationes, quam quatuor, quod eſt expreſsè contra Philoſophum tertio, & quinto huius, & ſecundo Metaphyſicæ & pluribus aliis locis. Quarto oſtendo principaliter quod inſtãs non ſit talis res, quia fruſtra fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora, ſed ſine tali re omnia poſſunt ſaluari, quæ ponũtur ſaluari per eandem, ergo fruſtra ponitur, minor patet, quia omnia quæ poſſunt ſaluari per talẽ rem, poſſunt ſaluari per hoc quod cęlum eſt ſecundũ ſuas partes in tali ſitu. Si enim primũ mobile mouetur localiter abſq; omni acquiſitione alterius rei, omnia ſaluarentur, ſicut per illam rem, ſicut patet inductiuè, ergo non eſt intentio Phi. quod inſtans ſit talis res alia indiuiſibilis ſtatim corrumpenda diſtincta ab omni re permanente.

Cap. Secundum.

PER aliquas rationes priores poteſt probari quod tempus non eſt alia res ſecũdum ſe tota diſtincta ab omni re permanente. Primo quia cum tempus nõ poſſit eſſe ſubſtantia talis oportebit quod ſit accidens. Sed non eſt accidens indiuiſibile, cum ſit in corpore ſubiectiuè, ergo eſt diuiſibile, & per conſeques extenſũ habẽs partes ſimul exiſtentes, quod eſt cõtra Phi. qui dicit quod partes tẽporis nõ ſũt ſimul. Si dicas quod tẽpus eſt extenſum nõ ſecundũ partes ſimul exiſtẽtes, ſed ſibi inuicẽ ſuccedentes, hoc nõ valet, quia ſubiectũ temporis eſt extenſũ ſecundũ partes ſimul exiſtẽtes, ergo, &c. Prę. tẽpus eſt in toto cęlo, vel ergo eſt in qualibet parte cęli, vel in nulla, nõ in nulla, quia tũc nõ eſſet in toto

Quod tempus non ſit res diſtincta ab omni re permanente.

quod

quod enim,nec ſecundũ ſe,nec ſecundũ aliquá ſua partẽ eſt in aliquo , nõ eſt in toto, ergo tempus eſt in qualibet parte cęli , ſed nõ eſt totũ in aliqua parte cęli, quia nullũ accidẽs tale eſt in cęlo , igitur vna pars tẽporis eſt in vna parte cęli , & alia pars in alia,& ita tempus eſt extensũ ſecundũ partes ſimul exiſtentes, & erunt plura tẽpora ſimul,quia quęlibet pars temporis eſt tempus. Nec valet dicere quod cęlum non eſt ſubiectũ temporis,ſed motus cęli Nã ille motus eſt extenſus ad extenſionem cęli, nã quęlibet pars cęli mouetur , ergo & accidẽs ſuũ,ſic eſt extensũ,& ita redit idẽ,quod prius,quod tẽpus eſt extensũ ſecundũ partes ſimul exiſtẽtes,& ita tempus eſſet longũ,latũ,& profundũ. Ex quibus ſequitur: vltra quod tẽpus eſt ſubſtãcia,vel qualitas: & ſequitur vltra quod ad illud erit verè motus cõtinuus,quia vere acquireretur ipſi cęlo,vel motui aliqua res,ſine interruptione diſtincta à loco,& ita eſſent plures mutationes,quam illę, de quibus loquebatur Phi.Pręt.quãtitas,corpus,ſuperficies,linea & locus nõ diſtinguũtur realiter à ſubſtãcia,& qualitate,quia omne corpus,& ſuperficies, & linea , & locus eſt ſubſtantia, vel qualitas,ſicut patet ex dictis,ergo eadẽ ratione tẽpus nõ diſtinguitur realiter à ſubſtãtia,vel qualitate, ergo vel tẽpus eſt ſubſtãtia,vel qualitas,ſed nulla ſubſtantia, vel qualitas eſt res diſtincta à rebus permanẽtibus,ergo &c. Prętereà,oſtensũ eſt quod motus non eſt res ſecundũ ſe totam diſtincta à rebus permanentibus , ergo eadem ratione nec tempus . Prętereà omnia poſſunt ſaluari ſine tali re, ſicut inferius patebit ergo &c.

Cap. Tertium .

OSTENSO quid non eſt tempus, dicendum eſt, quid eſt tẽpus,ex quo apparebit quomodo tempus eſt , & quomodo non eſt . Sunt autem aliqua prę mittenda . Primum eſt quod tempus eſt menſura motuum quorum quantitas eſt nobis ignota, hoc eſt , per tempus certificamur quandiũ aliquid mouetur , & quod vnum

Temporis neceſsitas.

mobile diutius mouetur quam aliud, illud enim dicitur diutius moueri, quod in maiori tempore mouetur. Aliud eſt , quod tempus eſt menſura rerum temporalium , per tempus enim certificamur , quod vna res permanens diutius durat , quam illa. Aliud eſt , quod ſicut per tempus menſuratur motus, & res temporalis , ità etiam tempus eſt menſura quietis, quia per tempus certificamur quæ res diutius quieſcat, & quæ minus, & quæ æqualiter quieſcit cum alia . Et iſta ſunt principalia, vel pręcipua,propter quæ ponitur tẽpus,& propter quę cognitio temporis eſt nobis neceſſaria.Ex quibus ſequitur quod cum quantitas menſurę debeat eſſe nobis notior , quam quantitas menſurati , quia propter quãtitatem menſurę certificamur de qualitate menſuratorum , quod natura temporis quantum ad ſuam quantitatem ſit notior nobis,quam quantitas motuum menſuratorum, ex quibus ſequitur , quod tempus non eſt res latens incognoſcibilis, ſicut aliqui dicunt , imo eſt nobis notum , & nõ eſt notũ ſapientibus tantũ, ſed ratione omnibus vtentibus. Nullus enim idiota eſt quin cognoſcat de aliquo per tempus, quod vnũ duorũ , vel diutius quieſcat , vel diutius moueatur, vel duret quá aliud, vel æqualiter , ſicut ipſe qui ſcit quod diutius, vel minus fuit in tali loco , vel tali , quam alius,& ſic de aliis Oportet ergo quod tẽpus ſit aliquod nobis notũ valde,quia omnibus ſapientibus, & inſipientibus eſt cauſa,& occaſio tot cognitionũ,ſicut experimur. Dicitur autem tẽpus valde ignotum propter multas difficultates emergentes tractantibus de natura ipſius ex auctoritatibus auctorũ male intellectis , propter quod tales philoſophantes non intelligentes modos loquendi, & auctoritates Philoſophorũ magis dubitant de tempore , quã alii ſimplices vtentes ſolũ modo ſecundũ vſum vocis, ſicut plus dubitãt de motu qui tamen ad ſenſum apparet , & per ſenſum apparet,& per ſenſum notificatur.Oportet autẽ ſcire quod quãdo quantitas alicuius rei ignotę debet certificari, & notari,quãdoq;

Tempus quomodo ſit notiſſimum.

Quomodo tempus ſit difficile cognitu.

Quot modis certificari nos cõtingat de rei quantitate.

doq; notificatur per applicationē quātitatis mēſuræ notę ad rē, cuius quātitas ignoratur ſemel, vel pluries, ſicut per applicationē vlnę, cuius quātitas nota eſt ſemel, vel pluries ad pannū applicatur, & tūc notificatur de quātitate panni; quādoq; autē aliquis habēs magnā experiētiā de tali menſuratione poteſt per ſolū aſpectū rei certificari quāta res eſt, vtrū ſcilicet ſit tricubita, vel bicubita, quāuis talis certio non ſit ita nota, & certa ſicut prior. Et iſto duplici modo proportionabiliter quando ignoratur, de duobus rebus, quę ipſarū eſt maior, vel minor, vel an ſint ęquales, quarum nō pōt vna alteri applicari, certificatur quis quę earū ſit maior, vel minor, ſcilicet per applicationē eiuſdē ad vtranq; earū, vel ſolū per aſpectū illarū, quamuis ſecūda noticia ſit incertior quā prima. Et ſicut eſt duplex talis notificatio in permanentibus, ita in ſucceſſiuis. Nam quandoq; aliquis neſciēs quantū aliquid moueatur, certificatur per aliquem motum ſibi notū, cōſiderans enim & applicās motum Solis ſibi notū ad aliū motū, & cōſiderans quod illud aliud mouebatur à tali pūcto ad talē pūctū, ſcit quādiū illud mouebatur. Similiter aliquis qui videt hodie aliquod corpus moueri, & ſimiliter die pręcedete, & cōſiderās quod hodie mouetur à tali pūcto ad talē pūctū & heri dū Sol mouebatur ab alio pūcto ad aliū punctū, ſcit quod hodie diutius, vel minus diù mouetur, quā heri. Quādoq; aūt cōſtat alicui quod vnū mobile diutius mouetur quā aliud per ſolū aſpectū aſpiciēdo vtrumq. dū mouetur, quāuis nō ita certitudinaliter cōſtet, ſicut 1. mō. Eodē mō duplici ter proportionabiliter certificatur quis de quiete, quantū, ſcilicet quieſcit aliquid, & quod vnū diutius quieſcit, quā reliquū, & quod aliquod vnū ęqualiter quieſcit cū reliquo, & iſto mō de duratione. Nā iſto duplici mō certificatur quis quod vnū diutius durabit, vel durat, quā reliquū, vel quod aliquod tātū durat quantū reliquū. Eſt autē notādum, quod illa eſt propriè menſura quātitatis, per cuius cognitione, & applicationem ad reliquū cognoſcitur quātū ſit reliquū, quę quidē applicatio quandoq; fit per cōtactū finalē; quādoq; impropriè, cum ſcilicet per conſideratione ſolū intellectus cognoſcit quantū eſt reliquū, ita quod tā menſura quā menſuratū debet eſſe actualiter nota, & debent eſſe diſtincta, propter quod quando per aſpectū alicuius cognoſcitur, quātum ipſum eſt, illa cognitio, propriè loquendo, nō eſt menſura, ſed illa res alia cuius quantitas eſt nota, hoc eſt, quātitas ipſa per cuius applicationem ad alia rē, de qua neſcitur quāta eſt certificatur intellectus quantū illa res eſt, vere eſt menſura, & propriiſſimè. Cū ergo tēpus ſecundū omnes ſit menſura rerū temporalium, & motuū, & quietū, illa res erit tēpus, per quā de duratione rerum tēporaliū, & duratione motuū, & quietum certificamur, vt iſta poſſit eſſe deſcriptio indicas quid nominis iſtius nominis tempus. Tempus eſt menſura omniū rerū, de quarū duratione pōt intellectus certificari per aliud magis notū ſibi. Ad cuius euidentiam ſciendū eſt, quod duplex eſt menſura. Quādoq; enim aliquid dicitur menſura alicuius, quando de vna re notū eſt, quanta ipſa eſt, ſcilicet, quādo notum eſt quod ipſa eſt pedalis, vel bipedalis, & de alio ignoratur quanta eſt, quia neſcitur an ſit pedalis, vel ſemipedalis, ſed cū re priore ſcitur poſtea quanta eſt illa prius ignota, & iſta pōt vocari menſura permanentiū. Alia dicitur eſſe menſura quādo de aliqua re, ſiue ſit notum quāta ipſa ſit, ſiue ignotū, ſcitur tamē quod mouetur vniformiter, ſcilicet ęqualiter per quod de alio, ſiue ſit notū quantum eſt, ſiue neſciatur quātū eſt, poteſt certificar quamdiu eſt, vel diu mouetur, vel quieſcit, & iſta poteſt vocari menſura ſucceſſiuorū. Et ſecūdum hoc cū ſcitur qualiter res permanens mouetur, ſcitur de alio quandiu permanet, ſiue etiam duret, mouetur, vel quieſcit. Ex quibus patet qnod nō eſt neceſſe ponere aliquā rē inhęrere primo motui ad hoc quod certificetur quę res plus, vel minus duret, vel quæ diutius mouetur, vel quieſcit. Ad hoc enim ſufficit motus. Si enim conſidereretur aliquod motum de quo ſcimus quod eſt vniformę, hoc eſt, ſcimus

Quid proprie ſit tempus.

Differentia menſuræ ſucceſſiui & menſuræ permanentis.

quod

quod tale motū ſemper vniformiter mouetur, ideſt ſemper æqualiter per hoc poterimus ſcire quod vna res alia diutius, vel minus diu mouetur, vel quieſcit, ergo fruſtra ponitur alia res, &c.

Cap. Quartum.

PRAEDICTIS concordat ratio P. i. 4. huius tex. cō. 101. ſiue diffinitio, quæ talis eſt. Tempus eſt numerus motus ſecundum prius, & poſterius Tunc enim certificamur per tempus de alijs motibus iſtorum inferiorū; quando eſt ordo inter prius & poſterius in motu vniformiter, hoc eſt qñ coſideramus motū, quod vniformiter eſt in tali loco & poſterius in alio per hoc ſcimus quandiu mouetur illud, quod ignoramus. Vnde niſi cognoſceremus quod mobile vniformiter prius eſt in tali loco, & poſtea in alio, nūquã poſſemus cognoſcere, nec per ipsū iudicare quãdiu aliquid mouetur, quieſcit, vel durat Ex quo patet ꝙ hoc poſſumus ſcire per hoc ſolū, quod conſideramus, & numeramus prius, & poſterius in motu. Nō ergo oportet ponere aliquam rē per cuius prioritatem, & poſterioritatem debeamus numerare de quantitate aliorum motuum, quod Philoſophus declarãs quomodo accipitur numerus in diffinitione temporis. tex cō. 102. dicit. Quoniam autem numerus eſt duplex, & namque quod numeramus, & numerabile numerum dicimus, & quo numeramus, quidem tempus autē eſt quod numeratur, & non quo numeramus, eſt autem alterum & quo numeramus, & quod numeratur. Ex quo colligitur quod tempus eſt numerus numeratus, quia eſt pars rei numeratæ, fruſtra ergo ponitur aliud à motu, & prius oſtenſum eſt quod motus non eſt alia res à rebus permanentibus, ergo nec tempus eſt aliquod accidens inhærens moto, vel motui Sed iſta propoſitio tempus eſt menſura aliarū rerū, debet intelligi per iſtã, per hoc quod motum vniformiter mouetur certificamur quantum aliæ res durant, mouentur, vel quieſcunt.

Cap. Quintum.

EX præmiſſis patet quomodo tēpus eſt & quomodo tempus non eſt Patet enim quod tēpus non eſt quod ā cōpoſitum ex partibus præteritis, & futuris diſtinctum ſecundū ſe totum à permanētibus & ſufficienter, & bene hoc conuincunt rationes Philoſophi poſitæ in principio capituli de tempore, propter quod rationibus illis non reſpondet refutans quod ſufficienter demonſtrent concluſionē, quam prætendunt ſecundū quod accipiendo tempus pro tali cōpoſito, quod non eſt: quia nihil eſt tale cōpoſitū. Itē impoſſibile eſt, quod aliquod cōpoſitum in rerum natura exiſtēs componatur verè, & realiter tanquā ex partibus ſuis ex illis, quæ non ſunt. Cum ergo illud, quod factum eſt, non ſit, & ſimiliter illud quod futurum eſt, non eſt, impoſſibile eſt quod aliquod ens exiſtens in rerū natura ex talibus cōponatur, & ita ſic accipiendo tēpus nihil eſt tēpus, hoc eſt nullum cōpoſitum tale eſt. Itē quicquid vere, & realite componitur ex aliquibus partibus, ſi ipſum totū eſt neceſſe quod omnes partes vel aliquæ ipſius ſint, imo neceſſe eſt, quod omnes partes illius ſint, quia impoſſibile eſt, quod illud, quod non eſt, ſit pars alicuius entis, nullum enim ens cōponitur ex non entibus, ſed partes temporis præteritæ, & futuræ non ſunt, ergo impoſſibile eſt quod tēpus ſit tale cōpoſitū diſtinctum à rebus permanentibus ſecūdum ſe totum, & ſic intelligendo tēpus, tempus non eſt ſed aliter intelligendo, tēpus eſt, quod iſta propoſitio breuis tēpus eſt, ponitur loco illius propoſitionis longæ. Aliquod mobile mouetur vniformiter, quod intellectus conſiderans, & enumerans quando prius alicubi nō eſt, & poſtea eſt ibi, & poſterius alibi, certificari poteſt de alijs quandiu durant, vel mouentur, vel quieſcunt. Sicut ergo per iſtam orationem longam non denotatur quod aliquod exiſtens in rerum natura cōponatur ex non entibus, ſed denotatur

Quomodo tempus non ſit.

Quomodo tēpus eſt.

M quod

quod idem ſine nouitate exiſtens coexiſtit primò vni, & poſtea alteri, & per hoc poſſumus ſcire quandiu illa durant, mouentur, vel quieſcunt, & quod vna res diutius durat, mouetur, vel quieſcit, quã alia: ita per iſtum, tempus eſt, non denotatur aliquid eſſe in rerum natura exiſtens cõpoſitum ex non entibus, ſed quod ſic mouetur vniformiter.

Cap. Sextum.

Cuius motus non ſit tempus.

PER dicta patet quod quamuis poſſit concedi, quod tempus eſt motus ſub iſto intellectu, quod per hoc, quod aliquid mouetur vniformiter, poteſt aliquis certificari de diuturnitate rei, non tamen eſt vniuerſaliter verum, quod omne per quod ſic cognoſcitur, ſcilicet quantum eſt, eſt tempus illius motus, cum iſta res, ſcilicet tempus non poteſt competere cuicunque motui Quia quamuis per motum inferiorem difformem menſuremus motum vniformem. Quia quando quis cognoſcit horam diei per motum ſuum, & exercitium, & cognoſcit in quo ſitu in cælo eſt Sol, & etiam per motum talem mẽſuramus alios motus, tamẽ hoc non poteſt fieri per certitudinẽ, nec competit ex natura rei, ſed magis propter defectum aliquem, ideo nõ cuiuslibet motus eſt tẽpus, ſicut non quilibet pannus eſt vlna, quamuis per pannũ poſſit certificari de aliquo quod ſit vlna. Aliquis enim ſciens quot vlnarũ eſt pannus per illum pannum poteſt certificari de aliquo ligno vel virga quod eſt vlna, & tamen ille pannus non eſt vlna, quia de natura ſua habet magis quod debet mẽſurari quam mẽſurare, & ita eſt de motu vniformi reſpectu motuum difformium, quia potius debet menſurare difformia, quam menſurari ab eis. Patet etiam ex eodem quod iſti termini, motus, tempus, non ſunt idem in diffinitione, hoc eſt, non habent eandem diffinitionem, ſicut licet in rei veritate lignum aliquod idem ſit lignum, & vlna, tamen iſti termini habent diuerſas diffinitiones, & alicui competit diffinitio ligni, cui non competit diffinitio vlnæ. Sic etiã alicui competit diffinitio motus, cui non competit diffinitio temporis.

Cap. Septimum.

Quem motum inſequitur tẽpus.

PATET ex iam dictis cui motui cõpetit eſſe tẽpus, ſcilicet primo motui primi mobilis vniformiter, & velociſſimè moti, quãuis per motum Solis poſſimus metiri motum multarum rerum, tamen ratio ipſius magis conuenit illi motui primo, quia quantum eſt ex ſe, magis natus eſt certificare de aliis motibus, quã motus Solis, imo per illum motum natus eſt intellectus certificari de motu Solis, & aliorum planetarum, ergo tempus eſt paſſio primi motus, ſicut mẽſurabile eſt paſſio vlnæ, & riſibile hominis ſicut non obſtante quod homo verè & realiter ſit riſibilis, & tamen dicimus quod riſibile eſt paſſio hominis, ita poſſumus dicere quod motus primus eſt tẽpus, & tamen tempus eſt paſſio primi motus, quia tales propoſitiones, quæ videntur repugnare, verificantur per diuerſas ſuppoſitiones terminorum, ſicut in iſta, homo eſt riſibilis, termini ſupponunt perſonaliter, & ſignificatiuè. In iſta autẽ, riſibile eſt paſſio hominis, iſte terminus homo ſupponit ſimpliciter, vel materialiter. Denotatur enim quod riſibile prædicatur per ſe de homine in ſecundo modo dicendi per ſe, non prædicatur autem niſi conceptus, vel vox, ergo &c. Similiter eſt hic, motus primus eſt tempus, termini ſupponunt perſonaliter, & ſignificatiuè. quia per iſta non plus denotatur, niſi quod mobile primum, & vniformiter, & velociſſime mouetur per quod poteſt intellectus certificare de aliis quantum durant, mouentur, vel quieſcunt. In iſta autem, tempus eſt paſſio primi motus termini ſupponunt ſimpliciter, vel materialiter. Denotatur enim quod prædicatur tempus per ſe ſecundo modo de motu primo

mo

mo, quod vtique verum eſt, ſicut menſura prædicatur per ſe de vlna, vel de aliquo tali, talia enim reſpectiua prædicantur de aliis, quæ non ſunt reſpectiua ad illa, quorum ſunt per ſe ſecundo modo, vel per accidens, & non per ſe primo modo. Patet ergo ex dictis quod tempus non eſt aliqua res alia à primo motu, quia per primum motum, omni alio circumſcripto, ſcimus de tēporalibus quandiu durant, mouentur, vel quieſcunt. Et tamen tempus, & primus motus differunt diffinitione, quia tempus importat animam, quæ debet certificari, & alias res de quibus debet certificari, & ita non importat niſi res permanentes, quamuis importet aliquas illarum rerum permanentium moueri. Ex quibus patet quid eſt tempus, & quomodo eſt tempus, & quomodo non.

Cap. Octauum.

Sermo de eſſe inſtantis.

VISO quid eſt tempus, videndum eſt quid eſt inſtans. Circa quod dico, quod inſtans non eſt res ſtatim deſinens eſſe in rerum natura, ſed inſtans non eſt aliud ab ipſo primo mobili. Vnde ſicut mutatum eſſe, ſiue mutatio non eſt aliqua res ſtatim deſinens eſſe, ſicut prius dictum eſt, ſed importat mobile alicubi exiſtens, vbi prius non erat immediatè ante. Ita inſtans non eſt niſi primum mobile exiſtens alicubi ſecundum ſuas partes, vbi non erat ante immediatè, vt hoc nomen, inſtans; non dicat niſi primum mobile exiſtens in tali loco, vbi prius non erat immediatè ante, nec immediatè poſt erit, vt ſicut cum dicimus: homo eſt, in tali locutione, vel hoc nunc eſt album, non importatur plus, niſi quod hoc eſt album, quando primum mobile eſt alicubi, vbi prius non erat, nec poſtea erit, & hoc intelligendum eſt ſemper immediatè. Et ideo eſt conuenientior ſecundum proprietatem ſermonis modus loquendi per hoc aduerbium, nunc, ſicut fecit Ariſtoteles 4. Phyſic. per hoc volens nobis innuere, quod præter primum mobile in loco determinato, & alias res permanentes, quæ per tempus durant, nunc non eſt aliqua res deſinens eſſe ſtatim. Et ad hoc vadunt rationes Phi. Prima enim probat, quod non ſint duo nunc ſibi inuicem ſucceſſiua ita, ſcilicet quod vna deſtruatur, & alia ſibi ſuccedat, quia ſi illa res corrumperetur, aut corrumperetur in iſto nunc, aut in alio, non in iſto, quia tunc eſt, nec in alio, quia cum vnum nunc non ſit immediatum alteri, ſequeretur quod idem nunc ſit prius in illis, quæ ſunt media, & ita duraret per tempus. Sic ergo patet quod non eſt ibi aliqua res, quæ vere ſit corrupta deſinens eſſe, ſed ibi eſt primum mobile, quod exiſtens alicubi ſecundū partes deſinit eſſe ibi, & eſt alibi, eo quod mouetur continue. Nec moueat aliquem, quia dico quod primum mobile eſt alibi, vbi prius non fuit. Quia hoc poteſt habere intellectum duplicem, ſicut oſtendetur, quando dicetur de loco, & ſub illo intellectu ibidem exprimendo intelliguntur omnia talia verba. Secunda ratio Phi. probat quod non eſt idem nunc ſemper permanens, hoc eſt quod non manet in eodem loco primum mobile. Tunc enim quæ ſunt, & quæ fuerunt ante milleſimum annum, eſſent ſimul, & ita ſequitur, quod illud non coexiſtit cuicunque contradictioni, cuius vtraque pars ſucceſſiuè verificatur. & propterea dicit Phi. 4. huius text Comm. 104. ipſum autem nunc eſt ſicut idem, eſt verò ſicut non idem. Volt dicere quod inſtans ſit idem numero, hoc eſt, non ſunt diuerſæ res, quarum vna alteri ſuccedat. Eſt vero ſicut non idem, hoc eſt, mobile in diuerſis locis coexiſtit, propter quod dicitur primo vna res nunc eſſe, poſtea alia res dicitur tunc eſſe, ita quod quando mobile exiſtit in vno loco, verum eſt dicere de vna re nunc eſt, & poſtea de alia re verum eſt dicere quod tunc eſt, & ita eadem res eſt non variata, quam-

u'ſ ſit alibi,& alibi: & hoc eſt quod Philoſophus concludit in eodē textu. Eſt quidem igitur ſicut idē ipſum quod nūc dicitur ſemper eſt, aut ſicut non idem, & namque eſt ſimiliter quod fertur. hoc eſt mouetur localiter, ſicut quod fertur ſubſtantia, hoc eſt, idem eſt ſecundū ſubſtantiā, & tamen eſt alibi, & alibi ſucceſſiuè, propter quod habetur diuerſa eſſe, hoc eſt diuerſa prædicabilia de eo verificantur. Et ita res importata per hoc nomē, inſtans, eſt eadē ſemper non variata in ſua ſubſtantia, & tamen illa res variatur ſecundū locū, hoc eſt, ſucceſſiue eſt in diuerſis locis, propter quod ſecundū prius & poſterius ſucceſſiue de eodem, vel diuerſis dicitur nunc eſſe. Et hoc intelligit Philoſophus, quando dicit inſtans, vel nunc eſſe aliud ſecundum eſſe.

Cap. Nonum.

Obijcitur contra dicta quod tempus nō ſit motus.

AD maiorem euidētiam prædictorū ponendæ ſunt aliquæ obiectiones. Primo enim videtur quod tempus nō ſit motus, & hoc propter rationes Philoſophi, per quas probat quod tempus nō eſt motus circularis, ſiue circulatio, quia quælibet pars temporis eſt tēpus, ſed non quælibet pars circulationis eſt circulatio, ergo tempus, & circulatio prima non ſunt idem, & per cōſequens circulatio nō eſt tempus, nec econuerſo. Item ſi motus eſſet tempus, ergo ſi eſſent plures cœli primi eſſent plures motus primi, ergo eſſent plura tempora, quod eſt incōueniens. Itē motus & mutatio tantū ſunt in ipſo mutato, vel moto, ſed tempus eſt ſimul vbique, & apud omnes, ergo tempus non eſt motus, nec mutatio. Itē motus eſt velox, vel tardus, ſed tempus nec velox, nec tardus, ergo &c. minor patet, quia velox & tardum certificātur tempore, & etiā diffiniuntur. Velox enim eſt qui in paruo tempore multum mouetur. Tardus qui in multo tēpore pertranſit parum, ſed tempus, nec diffinitur, nec determinatur tēpore, ſiue certificatur, ergo tēpus nec velox, nec tardus. Vnde concludit Philoſophus, tex cō. 97 Quod quidē ſcilicet, ratione tempus nō ſit motus, manifeſtū eſt. Item Philoſophus poſtquam inueſtigauit naturam tēporis, & concluſit diffinitionē temporis, ſic dicit, non ergo motus tempus eſt ſi ſecundum quod mouet. habetur tēpus motus. Item Cōm. dicit quod tēpus non eſt motus, ſed numerus motus, ergo &c. Item nihil ſequitur ſeipſum, ſed tēpus ſequitur motum ſecundum Philoſophum, ſequitur enim magnitudinē motus. Item nullum tempus mēſuratur tempore, ſed alicuis motus eſt tēpus per prædicta, ergo alicuis motus non menſuratur tempore, conſequens eſt falſum ergo &c. Ex omnibus ergo dictis videtur quod nullus motus ſit tēpus. Item quod inſtans non ſit ipſa ſubſtantia mobilis, videtur, quia ſi eſſet ſubſtantia mobilis, nullo modo eſſet aliud, & aliud inſtans, quod eſt contra Philoſophum. Item mutatio eſt in inſtanti, ſed mutatio non eſt in ſubſtantia primi mobilis, ergo &c. Itē mutatio mēſuratur in inſtanti, & non mēſuratur ſubſtantia primi mobilis. Item Philoſophus 4. huius dicit ipſum nunc idem eſſe quod forte erat eſſe, autem ipſum alterū eſt. De iſto autē eſſe quæro, quia aut eſt aliquid aut nihil ſi nihil, ad nihil eſt vtile tēpori, ſi eſt aliquid, & eſt alterum, & ſubſtantia primi mobilis non eſt altera, ergo nūc eſt aliquid præter ſubſtātiam primi mobilis. Item arguo per rationem Philoſophi, in principio ca. de tempore. Quia nullius diuiſibilis eſt tantū vnus terminus, ſed inſtans eſt terminus temporis, & tēpus eſt diuiſibile, ergo ſunt illic plura inſtantia, ſecundum non ſunt plures ſubſtantiæ primi mobilis, ergo &c. Item ſecundum Philoſophum illud quod ſequitur ſequitur ipſū nunc, ſed nihil ſequitur ſeipſū, ergo quod fertur non eſt ipſum nunc, nec econuerſo. Itē nunc eſt terminus temporis, & continuat præteritum cū futuro, ſed iſta non cōpetunt mobili. Vnde dicit Philoſophus Ipſum autem nunc eſt continuatio tēporis, ſicut dictum eſt, continuat præteritū, & futurum, & terminus temporis eſt, eſt

Contra dicta de inſtanti.

t. c. 102.

t. c. 103.

autem

autem huius quidem principiū, illius vero finis. Item poſtea ſubdit quoniā ipſum nunc ſi[illegible] & princi[illegible]ium ten[illegible] non eiuſdē ſed e[illegible] præte[illegible] qu[illegible] finis principium autem [illegible] Ex quo patet quod motus non [illegible]ſt ſubſtantia primi mobilis, cum nō ſit nec præterita, nec futura, nec nunc eſt ſubſtantia primi mobilis, cū non ſit nec præterita, nec futura, nec nunc eſt ſubſtantia primi mobilis, cum iſta nō ſit finis præteriti, nec principium futuri.

Cap. Decimum.

AD ſolutionem prædictarum rationū notandum eſt, quod ſicut de motu oriūtur multæ difficultates, propter modum loquendi, quia ſcilicet propter varietatem eloquij frequenter vtuntur homines hoc nomine, motus, & diutius hoc verbo, mouetur, ita e[illegible] de tempore, quod propter hoc, quod vtuntur hoc nomine, tempus, credūt multi, quod vna res aliqua abſolute, ſine connotatione, & relatione, importetur hoc nomine tempus, ad modum, quo homo ſignificat omnes homines, & albedo ſignificat albedinem, quod non eſt verum. Et ideo illi qui dubitant de aliqua propoſitione, in qua ponitur hoc nomen, tempus, ponāt loco illius hanc totam [illegible] [illegible]m. Aliquid mouetur velociſſime & vniformiter, quod quidem intellectus cōſiderans poteſt certificari quandiu aliquid durat, mouetur, vel quieſcit et loco illius tempus et [illegible] cōtinuum, debet poni iſta oratio aliquid ſine quiete mouetur vniformiter, & velociſſimè. Et ſic de ſimilibus eſt intelligendum, quia vtimur hoc nomine tempus, pro longa oratione, & interdum vtimur propoſitione breui pro lōga propoſitione cōpoſita ex alijs terminis quam ſint illi, qui ponuntur in propoſitione breui. Et ideo tales propoſitiones breues exponendæ ſunt per alias longas, & per illas, quæ magis propriæ ſunt & planiores iudicandū eſt de alijs [illegible] hoc quidē valde vtile eſt ad ſaluandum dicta auctorū, quæ aliter ſaluari non poſſent, quod quidem omittentes, & volentes, quod omne nomē determinatè ſupponat pro aliqua re, ad modum quo album, & homo ſupponūt, habent concedere multas propoſitiones ab antiquis negatas, ſcilicet quod motus eſt in inſtāti, & econuerſo quod verū eſt, quia quæcunque res vna exiſtens in rerū natura importata per hunc terminū, motus, illa vere eſt in inſtanti, quæ vere eſt, quando mobile primum eſt in aliquo loco certo. &c. Similiter debēt dicere quod mutatum eſſe eſt diuiſibile quia quæcūque res detur, quæ ſit mutatū eſſe illa vere eſt diuiſibilis & huiuſmodi, quæ tamē ab auctoribus antiquis negātur. Illos autem non reputo diſcedere ab intentione Philoſophi ſed à modo loquendi. Et forte modus eorum eſſet vtilior communitati, maxime ſimplicibus, quā aliis. Qualiter autē tales propoſitiones poſſunt exponi, poterit diligens lector ex eis, quæ ſubdētur percipere. Sicut autem propoſitiones habentes illud nomen tēpus: exponendæ ſunt, ita orationes, in quibus ponitur hoc nomen, inſtans, exponēdæ ſunt, ſicut iſta, inſtans eſt, eſt exponenda per iſtā, aliquid quod mouetur velociſſimè, & vniformiter, eſt in aliquo loco determinato, &c. & ſic exponendæ ſunt ſimiles ſicut inferius oſtendetur. Sed notandum eſt, quod quamuis poſſet concedi, quod motus primus eſt tempus tamen propoſitiones, in quibus ponitur hoc nomen tēpus, exponendæ ſunt ad hoc quod propriiſſimè, & certiſſime, ſine ambiguitate explicetur intellectus earum, ſicut propoſitiones, in quibus ponitur iſte terminus, motus, exponendæ ſunt. Et ita quamuis poſſet concedi hæc, mutatū eſſe primi mobilis eſt in inſtanti, tamen illæ, in quibus ponitur hoc nomen, inſtans, exponendæ ſunt, ſicut illæ in quibus ponitur iſte terminus mutatum eſſe vel mutatio. Qualiter antem fiat, viſum eſt partim, & inferius declarabitur, &c.

Cap.

Cap. Vndecimum.

Sermo in ſolutione obiectorũ.

ISTIS ſuppoſitis reſpõdendũ eſt ad rationes. Vnde dico quod philoſophus non intendit improbare iſtam concluſionem. Motus primus non eſt tempus, nec per conſequens iſtam, motus non eſt tempus, nec econuerſo, ſed intendit probare iſtam concluſionem. Motus primus ſiue circulatio non ſunt cum tempore idẽ diffinitione. Similiter iſtam, tempus, & motus nõ ſunt idem diffinitione, hoc eſt, nõ habent eandem diffinitionem. Et iſta fuit opinio Ariſtotelis, quia ſicut patebit in reſpondendo ad rationes hoc ſolum probant rationes Phi. & non aliud. Vnde ad primum dico, quod talis forma arguendi non valet. Quælibet pars temporis eſt tẽpus, quælibet pars circulationis non eſt circulatio, ergo circulatio non eſt tempus, ſed ſequitur, ergo tempus, & circulatio non ſunt idem diffinitione, hoc eſt, nõ habent eandẽ diffinitionem, vel quod aliquod importatur per tempus, quod nõ importatur per motum, vel eodem modo per circulationem, vel econuerſo. Vnde quod talis modus arguẽdi non valeat, ſcilicet quælibet pars temporis, &c. patet per infinitas inſtantias. Nam per talem modum arguendi probantis quod circulatio non eſt primus motus, ſic arguendo, quælibet pars temporis eſt tempus, nulla pars circulationis eſt circulatio, ergo &c. etiam teneret in alia forma, vbi tamẽ præmiſſæ ſunt veræ, & concluſio falſa, ſicut, non ſequitur, quælibet pars corporis eſt corpus, nulla pars corporis rotundi eſt rotunda, ergo rotundum non eſt corpus, etiam per infinita exempla patet, quod talis modus arguendi non valet, ſicut nõ ſequitur, quælibet pars corporis eſt corpus, ſed non quælibet pars pedis eſt pes, ergo pes non eſt corpus. Sic ergo intendit Phi. probare quod aliquid importatur per motum, quod non importatur per tempus, & econuerſo. & hoc vtrũque verum eſt, quia per primum motũ importatur, ſiue per circulationem præciſe totus

Quæſit vis rationis Ariſtotelis probantis circulationem non eſſe tẽpus.

motus, & non pars, per tempus autem importatur tam pars motus, ſiue circulationis, quam totum ſimul; cum hoc per tẽpus importatur anima, & motus, & alia de quibus anima debet certificari per tẽpus. Similiter ex hoc quod iſta ſit vera, quælibet pars motus eſt motus, & ſimiliter iſta, quælibet pars circulationis nõ eſt circulatio, ſequitur quod aliquid importatur per motum quod nõ importatur per circulationẽ, & ſic de aliis ſimilibus prædictis. Et ita patet euidẽter, quod per iſtã rationem non intendit probare, niſi quod iſti termini nõ ſũt idẽ diffinitione, & aliquid importetur per vnum, quod non importatur per reliquum, vel ſaltem eodem modo. Sed adhuc obiicies, quia ſecundum Phi. 4. huius text. cõ. 98. Quicunque percipit tempus, percipit motum, ſed quicunque percipit tempus nõ percipit primum motum, ergo primus motus non eſt tempus; maior patet, quia dicit, Simul enim motus ſentimus, & tẽpus, hoc eſt ſimul accipitur, vel apprehẽditur terminus motus, & tempus, quod probat ex hoc, ex quo etiam ſequitur probatio minoris. dicit enim. Etenim ſi ſint tenebræ, & nihil per corpus patiamur, motus autem quidã in anima fit ſubito ſimul fieri quoddam tempus, et vero tempus videtur fieri aliquod ſimul, & motus fieri aliquis videtur: quare autem motus aliquid eſſe ipſũ. Ad euidentiam iſtius, eſt ſciẽdum, quod quãdo aliquid percipitur cognitione propria ſed tamen compoſita, ſcilicet quando habetur cõceptus complexus in anima proprius alicui tamen quælibet pars cõpetit ſibi, & alii. Sicut aliquis habẽs iſtius propoſitionis conceptũ, ternarius eſt numerus impar, habet conceptum propriũ de trinario, quamuis quælibet pars competat ſibi alij. Et quandoque eſt hoc poſſibile, quamuis neſciat talis, cui talis conceptus eſt proprius, imo eſt poſſibile, quãuis neſciat vtrum talis conceptus ſit de aliquo. Nunc autem iſte conceptus, motus velociſſimus, & vniformis cõuenit primo motui, qui primus motus eſt tempus, & poſ-

teſt aliquis iſtum conceptũ habe. e, quã uis neſciat quis,vel quid eſt iſte motus ve lociſſimus,& vniformis.Immo hoc etiam eſſet poſſibile quãuis dubitaret,vel crede ret quod nullus eiſet talis. Iſte en m conceptus occurrit intellectui,quando intellectus vult certificari de quãtitate alicuius motus vel quietis.Qui enim vult certificari quantũ mouetur, durat, vel quieſcit, aliquod ſtatim format naturaliter iſtum conceptum dicendo in anima,quod ſi ſimpliciter eſſet motus velociſſimus, & vniformiſſimus: illud quod mouetur,dum illud mobile plus moueretur,diutius moueretur & ita generaliter naturaliter for maret intellectus iſtum conceptum, quãdocunque vult per tempus aliquid menſurare,& ita quicunque percipit tempus, percipit motum,& non ſolũ percipit m tum, ſed etiam primum motum, hoc eſt, habet conceptũ proprium primo motui', ſcilicet iſtum.motus velociſſimus,& vniformis. Et propter hoc dicit Phi, Simul enim motũ ſentimus, & tempus, hoc eſt, quando aliquis vult aliquid mẽſurare per tẽpus,percipit motũ, & tempus, & motũ ſine diſtinctione motus, & nõ tantũ mo tum in communi ſed etiam primũ motũ Vnde ſi ſint tenebræ ,& nihil per corpus patiamur,& ita nullum motum videamus per ſenſum,ſed tamẽ eſt motus in anima, hoc eſt anima habet cõceptũ motu , qui conceptus ſubito forte fit in anima,ſed ſi ſimul cum hoc vult certificari quantũ du rat,mou tur.vel quieſcit,aliquid videtur fieri quoddam tẽpus,hoc eſt, habetur cõceptus proprius tẽporis, & ſimiliter cõceptus videtur fieri , hoc eſt, cum anima habet conceptum tẽporis, & motus videtur fieri aliquid, hoc eſt, habet ſimul cõceptum motu.,Ex quo ſequitur quod tẽpus eſt aliquid ipſius motus , hoc eſt , eſt aliquod prædicabile de motu & importans motũ, ſicut riſibile eſt aliquid hominis,quia eſt propria paſſio eius.Et ideo ſicut iſta ſtant ſimul ,homo eſt riſibilis. & riſibile eſt aliquid hominis , ita iſta ſtant ſimul aliquis motus eſt tempus , & tamen tempus eſt aliquid ipſius motus, quia eſt paſſio ipſius motus primi , eo quod per hoc nomen, tempus, importatur aliquid quod non importatur per hoc nomẽ,motus,ſicut patet per diffinitionẽ exprimẽquid nominis eius. Ad ſecundum dico primo , quod illa ratio æqualiter probat, quod primus motus non eſt tẽpus, & quod tempus non eſt aliqu d accidens in motu primo, nec in primo mobili . Sicut enim infertur ex hoc quod primus motus eſt tempus , igitur ſi ſint plures cæli , plura tẽpora, eo quod ad multitudinem cælorũ ſequetur multitudo m tuũ.Eadem ratione ſequitur ſi plures ſunt cæli, ergo plura erunt tẽpora,quia ad multitudinem ſubiectorum ſequitur multitudo paſſionum, ſeu accidentium , ergo ſi tempus ſit accidens primi motus,non poſſunt eſſe plures motus primi,niſi eſſent plura tempora,ſicut,ſi ſint plures homines erunt plura riſibilia. Nec valet dicere quod tempus eſſed accidens vnius cæli , & non alterius, quia ſi cæli ſunt æque primi, non eſt maior ratio, quod tempus ſit accidens vnius motus cæli , quam alterius . Dico igitur quod Philoſophus probat,quod non quælibet circulatio eſt tẽpus ſed tantum circulatio prima , & ideo ſi eſſent duo cæli æque primi, & plures motus primi,in rei veritate eſſent plura tẽpora illa tamen eſſent vnũ per æquiualẽtiam tantũ,hoc eſt, nõ plus facerent ad menſurandũ illa duo tempora,quam vnum tantũ, ſed illud tãtũ eſſet ab omnibus apprehenſibile Sicut ſi aliquis volens menſurare aliquid,acciperet plures vlnas , in rei veritate eſſent plures vlnæ,quamuis vna tantũ per æquiualentiam hoc eſt,faceret ſibi vna tantũ quantum duæ ad menſurãdum .Aliud exẽplum poteſt poni de loco , quia poſito, quod aqua, & aer ſimul locarent aliquod corpus, ita quod aqua , & aer eſſent ſimul indiſtantes loco , & ſitu , illud corpus in rei veritate eſſet in duobus locis, quia non eſſet maior ratio, quare eſſet in aere , quam in aqua , & econuerſo, & ita vel eſſet in vtroque, vel in nullo,& tamẽ

dice-

diceretur eſſe in vno loco, quia ad hoc quod corpus ſit in loco, non plus requiritur aqua & aer, quam vnum ſolū. Et ſic ſi per impoſſibile plures eſſent motus primi, eſſent plura tempora, ſiue tempus ponatur primus motus, ſiue accidens primi motus, tamen eſſet verū per æquiualentiā modo dicto. Ad tertiū dico, quod quando Philoſophus dicit, quod tempus eſt ſimul vbique, &c. non intendit quod realiter ſit apud omnia, illo modo quo motus localis illius corporis eſt realiter, vbi eſt corpus, ſed intendit per iſtam propoſitionē, tēpus eſt vbique apud omnia, dicere iſtā, tempus eſt id, per quod omnia quæ vnque menſurabilia ſunt, quantum ad durationem motuum, & quietum, poſſunt menſurari, ita quod tempus dicitur eſſe in terra & in mari, quia omnia, quæ ſunt in mari, & in terra poſſunt tempore menſurari. Ex quo ſequitur, quod non omnis motus eſt tempus quia non quilibet motus eſt id, per quod omnia, quæ ſunt in terra & mari poſſunt menſurari. Sed motus primi mobilis eſt id per quod omnia, quæ ſūt iu terra & mari poſſunt menſurari. Sed nunquid debeat cōcedi quod motus primus eſt in terra, & in mari, ſicut cōceditur, quod tēpus eſt in terra & in mari, cū motus primus ſit tēpus. Dico quod iſta, & ſimiles ſunt quæſtiones ſophiſtarū, qui ignorant modos loquēdi improprios, quibus auctores frequenter vtūtur. Vnde non eſt modus loquendi quod motus primus ſit in terra, & mari, ſed quod tempus eſt in mari, & terra, & ideo vnum cōcedi tur, & non reliquū. Et ideo in illo ſophiſmate tempus eſt in terra motus primus eſt tēpus, ergo motus primus eſt in terra, eſt fallacia amphibologiæ, quia maior improprie accipitur. Ad quartū dico quod illud probat, quod non omnis motus eſt tempus & quod motus, & tempus habēt diuerſas diffinitiones Ex hoc enim quod vnus motus eſt velocior alio & vnum tēpus non eſt velocius alio, ſequitur quod motus, & tēpus non ſunt adæquate & cōuertibiliter idem, & quod non omnis motus eſt tempus, & hoc cōcedo. Vnde ſicut non ſequitur vnum lignū eſt longius alio ſed vlna non eſt lōgior alia vlna, ergo vlna non eſt lignū, ita nec alia conſequentia valet: probat enim Philoſophus quod nō omnis motus eſt tempus & quod differunt diffinitione, & ideo de rigore modi loquendi nunquā poteſt concedi, quod tempus eſt velox, vel tardum. Dico igitur quod de virtute ſermonis, ſecundum principia Phi. poteſt cocedi quod tempus eſt velox, quia tēpus eſt velociſſimus motus, ſed non debet concedi quod tempus eſt tardum, nec quod vnum tempus ſit velocius alio. Sicut nec motus primus ſit velocior primo motu. Et quando dicitur quod velox, & tardum diffiniuntur tēpore. Dico quod verum eſt quod diffinitur motu primo, illud enim eſt velocius quod dum mouetur a tali puncto ad tale punctum, mobile primum plus mouetur, & illud tardius quod dum mouetur, mobile primum minus mouetur. Et ſi dicas quod tempus poteſt haberi de motu aliquo an ſit velocior alio per alium inferiore, dico, quod verum eſt, ſed non ita certitudinaliter, nec à tot, nec ita bene & faciliter à communitate, maxime ſi motus ſit primus Vnde ille motus erit tempus, & non alius, qui motus magis certificat quancūque rem, & totam communitatem certificare habet de aliis quantum durant, mouentur vel quieſcunt, & omnes iſtæ conditiones cōpetunt primo motui. Ad quintum dico quod Phil. intendit quod motus non eſt tempus, ſcilicet conuertibiliter, hoc eſt quod motus & tēpus non conuertuntur: nec habent eandem diffinitionem. Per hoc ad aliud dico, quod nec eſt conuertibiliter tempus motus, nec ſine motu: quia eſt realiter primus motus. Et ad Com. dico quod non omnis motus eſt tēpus, nec etiam ſemper motus eſt tempus, quia motus primus non eſt actualiter tēpus, niſi quando partes numerantur; hoc eſt, niſi quando intellectus compræhēdit quod primum mobile primo eſt in hoc loco, & poſtea in alio. Ad aliud dico

quod

quod tẽpus nõ ſequitur motũ ſicut res inhęrens ſibi, ſed dicitur ſequi motũ, quia pręedicatur per ſe ſecũdo modo de primo motu. Dico etiã ad aliud, quod motus totus primus non menſuratur tempore, ſed motus inferiores tempore menſurantur, & ipſi tempore diſtinguuntur. Similiter & magna pars primi motus menſuratur tempore, quia paruo motu, vel parua parte temporis, quia magna pars motus, vel temporis ſolum menſuratur parte parua temporis, vt tota dies menſuratur hora, quia ſcitur, quod in hora tranſit tantum, vel tantũ ſpatiũ ſignatus punctus, & per conſequens quantum pertranſeatur vna die, & ſic hora menſurat totum diem, hoc eſt, quando primum mobile tranſit ab vno puncto ad alium, non ſiſtit, ſed mouetur adhuc iterũ, & tertio, & quarto, & ita idem non menſuratur ſe ipſo, ſed ſic, quod primum mobile tamdiu mouetur, ſcitur, quod mouetur ab vno puncto ad alium punctum.

Cap. Decimum Secundum.

Solutio ad obiecta de inſtanti.

POſtquam ſolutę ſunt rationes, quibus probatur quod tempus eſt alia res, à motu, nũc ſoluẽdę ſũt rationes, quibus probatur quod inſtans eſt alia res à primo mobili. Vnde ad primũ dico, quod inſtans nõ eſt aliud, & aliud ſic quod ſũt diuerſa inſtãtia, quę ſint diuerſę res totaliter; ſed ſub iſto intellectu põt cõcedi, quod inſtãs eſt aliud & aliud, hoc eſt, quod primum mobile eſt ſucceſſiuè in diuerſis locis, & alibi; & alibi, ita quod primũ mobile ſecundum diuerſas partes ſuas nunc eſt hic; & nunc alibi. Ad aliud dico, quod iſta propoſitio, mutatio eſt in inſtanti, conceditur ſub iſto ſenſu, quando aliquid ſubito mouetur, tunc quicquid acquirit, ſubito acquirit, ita quod non eſt aliquid prius; & aliquid poſterius, acquiſitum, ita quod iſta propoſitio, mutatio eſt in inſtanti, intelligitur per illã aliam longam, & recipitur iſte modus loquendi, mutatio eſt in inſtanti, & non iſte, mutatio eſt in ſubſtãtia primi mobilis, ſicut illa, motus eſt in tẽpore, & non iſta, motus eſt in primo mobili, nec iſta, motus eſt in aliquo accidente primi mobilis. Vnde idem argumentũ eſt contra alios, qui ponunt inſtans eſſe quoddam accidens primi mobilis, & tempus eſſe quoddam accidens primi motus. Nã arguo ſic. Mutatio nõ eſt in aliquo accidẽte primi mobilis, mutatio eſt in inſtanti, ergo inſtans nõ eſt accidens primi mobilis. Et ſic motus non eſt in aliquo accidente primi motus, motus eſt in tempore, ergo tempus nõ eſt accidens primi motus. Tales ergo modi loquendi recipiuntur, motus eſt in tempore, mutatio eſt in inſtanti, & non tales, motus eſt in aliquo accidente primi motus, motus eſt in aliquo accidente exiſtẽte in primo motu, mutatio eſt in primo mobili, & ideo modus arguẽdi ex talibus, mutatio eſt in inſtanti, & vniuerſaliter ex his quę ſũt impropriè cauſãt fallaciã ęquiuocationis, vel amphibologię & iudicandũ eſt de eis, & de argumentis in quibus ponuntur per illas, quę per eas intelliguntur. Et ideo ſicut nõ ſequitur, quando aliquid mutatur, totũ ſimul acquiritur; dum primũ mobile eſt in aliquo determinato ſitu; ſed mutatio non eſt in ſubſtantia primi mobilis, ergo inſtans eſt alia res, quia ſemper eſt licitũ propoſitionẽ, quę per aliã intelligitur, poni loco ipſius. Et per idẽ ad aliud dico, quod iſta propoſitio, inſtans eſt indiuiſibile, non concedetur ſub iſto intellectu, primum mobile non eſt in hoc loco quocũq; determinato, quod dũ ſit ibi, poſſit eſſe quęcunq; ſucceſſio; ſed ſic mobile eſt in hoc loco, & immediatè ante fuit in alio; & immediatè poſt erit in alio; ita quod non eſt ſic ibi; quod ipſo ibidem exiſtente poſset quæcunque conditio verificari. Ad aliud; quando dicitur; mutatio ſubita menſuratur inſtanti; dico quod iſta eſt falſa, etiam ſecundum alios, qui ponunt inſtans eſſe aliam rem à ſubſtantia mobilis; & mutationem eſſe aliam rem à motu, & mobili, & omni re permanente. Nam ſecundum eos tam mutatio; quam Inſtans eſt res indiuiſibilis; ſed nunquam indiuiſibile quantum ad ſuum eſſe menſuratur alio indiuiſibili,

Vide quã pulchrè dicũm.

Sicut ſi eſſet aliqua magnitudo indiuiſibilis, nunquam menſuraretur alio indiuiſibili, quia non poſſet menſurari, quia intellectus tantum dubitat, quantum eſt vnú quantum aliud, & nõ poteſt per vnum indiuiſibile de aliquo certificari quantú eſt; quáuis forte poſſet certificari quantú perfectú eſt, hoc eſt, quod vnú eſt perfectius alio. Et eodé modo núquá põt intellectus certificari de aliquo quantú eſt per aliud, niſi quádo vnú eſt maius alio, vel quando vnú eſt diuiſibile, & ignoratur vtrú ſit ęquale, vel inęquale. Sed ſic non põt eſſe da aliquo indiuiſibili, vtrum ſit æquale, vel inæquale alteri indiuiſibili. Dico igitur quod iſta nõ eſt vera de virtute ſermonis, mutatio ſubita menſuratur inſtanti, ſi tamen per eá intelligatur iſta. Quando aliquid mutatur ſubito, acquirit totú ſimul, & nõ ſecundum prius, & poſterius, bene poteſt cócedi. Ad aliud dico, quod illud, quod dicit Phi. cópetere inſtanti, vel núc, non eſt aliquid, niſi aliquod prędicabile, vel aliqua connotatio adiúcta ipſi núc, vel inſtáti. Vnde Phi. vocat eſſe aliquádo diffinitioné ipſius, aliquádo ipsá ré importatá per aliquá determinationé vocalé aliam a ſubſtátia ipſius, & ita aliquádo vnam orationé connotatá, & ita eſt in propoſito, quod illud eſſe alterius nõ eſt aliud, quá quod cóuenit vere dicere, quod hoc primú quandoq; eſt in aliquo loco, & quandoq; in alio, & quandoq; in altero: & certe illud eſſe eſt aliud à ſubſtátia mobilis, quia eſt quędá determinatio in mente, vel in voce, vel ſcripto. Ad aliud dico quod iſta propoſitio, inſtans eſt terminus temporis, eſt vera ſub iſto ſenſu, quod quando mobile mouetur, eſt in iſto determinato loco, in quo prius immediate non erat, nec immediate poſt erit, & continuat tépus, & hoc nõ eſt aliud quam mobile primú continue moueri, & ita ſéper quod eſt in loco determinato, in quo immediatè prius nõ erat, nec immediatè poſt erit, nec aliud eſt tépus continuú eſſe quam primú mobile cótinuè moueri. Similiter quando dicitur quod aliqua pars téporis eſt pręterita, & aliqua futura, nõ debet cócedi, quod aliqua res, quę eſt pars téporis, prius fuerit; & quod modo iſta res non eſt, & quod aliqua res erit, quę modo nõ eſt. Sed iſta pars téporis eſt pręterita, pars téporis eſt futura, ponitur loco iſtius, primú mobile prius mouebatur immediatè, & poſt mouebitur, vel erit in loco, in quo nõ eſt. Et ſimiliter tépus dicitur continuú, hoc eſt, primú mobile mouetur cótinuè. Et ſimiliter dicitur quod inſtans eſt finis pręteriti, & initiú futuri, quia mobile primú eſt prius in vno loco, & immediatè fuit in alio, & immediate poſt erit in alio loco, ita quod túc conuenit dicere, hoc mobile prius mouebatur, & poſt mouebitur, & iſto modo iſta propoſitio, continuatio temporis eſt, & ſimiliter cæteræ tales propoſitiones ſunt exponendæ.

Cap. Decimum Tertium.

Quę tépore menſurentur.

EX quo conſtat, quod tépus eſt menſura, videndú eſt quorú eſt menſura, & quorú non. Eſt auté tempus menſura, qua cognoſcitur quantum aliquid durat, mouetur, vel quieſcit. Non eſt auté motus abſolutè menſura, qua ſcitur quantú aliquid durat, mouetur vel quieſcit, ſed hoc ſcitur per alium modú, puta per aſpectú, vel ſenſum ipſius, & ignorato quamdiù mouetur, quieſcit, vel durat aliquid, põt de hoc certificari cognoſcédo, quod durat tádiù, quádiù durat coexiſtétia moti, dú tot vicibus voluebatur. Et eodé modo tépus eſt ménſura, qua cognoſcitur, quod vnú diutius, vel æqualiter, vel minus diù mouetur, durat, vel quieſcit, quá aliud, ſicut per hoc quod a. diutius durauit, quá b. Si enim cóſideremus quod a. mouebatur, quádo primú mobile mouebatur ab Oriente in Occidens, & b. non mouebatur, niſi dú primú mobile mouebatur ab Oriente in Meridié, ſcimus quod a. diutius mouetur, quam b. Et ſimiliter de ſimilibus eſt dicendú. Moneo tamen quod nullus accipiat exempla, niſi gratia exempli, quia exépla ponimus nõ vt ita ſint, &c. ſed vt &c. & ideo illo modo accipiátur. Ex pręmiſſis ſequitur, quod nullú neceſſarium, & perpetuú menſuratur tempore, quia de nullo tali põt ſciri per tempus, quantum tale

aliquid

aliquid durat. Vnde ſi eſſet aliquod corpus infinitú, illud non poſſet menſurari, nec per finitú, nec per infinitum, ſed eo ipſo quod apprehenderetur, & cognoſceretur, eſſet finitú; ita ſi aliquid in perpetuum duret, non poteſt ſciri per aliquid aliud quantú durat;

Quę fugiãt tempus ipſum.

Inſtantia. & ita tale non poterit menſurari. Et ſi dicatur contra, quia ſi eſset corpus infinitum, & ignoraretur eſſe infinitú propter applicationem alterius infiniti ad ipsú, poſſet ſciri eſſe infinitú: ergo túc per applicationé alterius ad ipsú ſtatim ſciretur, quod eſſet infinitú quod tamé neſciebatur, ſed quãdo ſcitur de aliquo quantú eſt per applicationé alterius ad ipſum menſuratur illo, ergo vnú infinitú poſſet menſurari per aliud infinitum, ergo eadé ratione vnú perpetuú per aliud poſſet méſurari. Ité de quo poteſt ſciri per tépus quod diutius durat, quam aliud, menſuratur tempore; ſed per tempus poteſt ſciri, quod vnú perpetuum diutius durat, quá non perpetuum, ergo perpetuum tépore menſuratur.

Solutio. Ad primú dico quod ſi eſſet aliquod infinitú corpus, & totú videretur, & apprehenderetur, & ignoraretur eſſe infinitum, & poſtea per applicationé alterius infiniti ad ipſum ſciretur infinitum, menſuraretur per aliud infinitú. Sed hoc eſt impoſſibile. Impoſſibile eſt enim quod aliquod infinitú apprehendatur, ita quod non tantum apprehendatur pars, ſeu totum, & ignoraretur eſſe infinitum, & ideo non poteſt infinitum tempore menſurari. Sicut ſi eſset aliquod indiuiſibile non poſset menſurari, quia impoſſibile eſt quod cognoſcatur indiuiſibile diuiſibiliter, vel cognitione propria, & ſimplici, quin cognoſcatur eſse indiuiſibile, vel ſaltem nullú talem poſset determinare illud eſse indiuiſibile. Non pót ergo infinitú ſciri eſse infinitú per applicationé alterius infiniti ad ipſum, ſicut ſi applicaretur vnum infinitú ad aliud, non cognoſceretur eſse infinitú, ita quod propter applicationé illam non cognoſceretur eſse infinitum. Et eodé modo nunquá per tempus ſcitur aliquid eſſe perpetuú, hoc eſt nunquá ſcitur aliquid eſse perpetuú; per hoc quod exiſtit tot, vel tot reuolutionibus mobilis primi, ſed ſcitur per deductioné, vel per alium modum; puta quod eſt ſimplex compoſitum, vel quia non habet contrariú, vel per aliam viá. Ad aliud dico quod ad hoc quod aliquid tempore menſuretur, non ſufficit quod vnum diutius duret, quá aliud, ſed oportet quod per tempus poſſit ſciri quandiù durat. Verum tamé quando ſcitur per tempus, quod vnum diutius durat, quam aliud, oportet quod vnum illorum tempore menſuretur. Vnde ſi eſſent duo mobilia ſemper duratura, quę tamé de nouo inceperint, quamuis hoc putem eſſe impoſſibile ſecundum principia Philoſ. illa menſurarentur tempore a parte ante, quia per tempus poteſt ſciri quandiù durabant. Patet ergo quod perpetuum non menſuratur per idem, patet quod motus perpetuus non menſuratur per tempus, quia per tempus non poteſt ſciri quantum motus perpetuus durauit, vel durabit: hoc eſt, quamdiu tale mobile mouebatur, vel mouebitur, & ſimiliter eſt de quiete perpetua. Sed forte dubitabit aliquis, quid eſt duratio rei. Duratio quid ſit.

Ad hoc dico, qnod duratio rei non eſt aliqua res adueniens ill rei, quę durat, ſed duratio non eſt niſi exiſtere, dum tempus exiſtit, & duratio tanta, vel tanta rei non eſt, niſi exiſtentia eiuſdem primi mobilis totiens, vel totiens, & dum tantum, vel tantum mouetur. Patet ergo, quod nec res perpetua, nec motus perpetuus, nec quies perpetua menſuratur tépore, & eodem modo quę ſemper non sút, non menſurantur tempore, quia per tépus non poteſt ſciri de illis quamdiu non ſunt, ſicut chymera non poteſt ſciri quadiu non eſt chymera.

Cap. Decimum quartum.

OMNIA Præter perpetua meſurantur tempore, ideo vocantur temporalia Vnde generabilia, & corruptibilia tempore menſurantur, quia per tempus durant; ideo duratio eorum tempore menſuratur, non autem ſcitur quantú perfecta ſunt, nec quanta ſunt. Ideo dicitur communiter, quod duratio rerum temporaliú per tempus eſt, & tempus eſt menſura durationis, & non perfectionis: quæ propoſitio debet

ſic intelligi, quod per tempus poteſt ſciri quamdiu durant res tēporales, & quod vna illarum diutius durat, quā alia, ſed nō poteſt ſciri quantū perfecta eſt vna res temporalis, & quanta, nec quod vna eſt maior, vel perfectior alia. Sicut autem res tēporales menſurātur tēpore quantū ad durationem modo prȩexpoſito, ita omnes motus inferiores, & quietationes inferiorū menſurātur tēpore, pro eo quod nō ſūt perpetui. Quia de quolibet motu inferiori poteſt per tempus ſciri quandiu durat, & quod vnus diutius durat, quā alius. Similiter eſt de quiete. Non ſolū autem quantū durat motus inferior poteſt menſurari tempore, ſed etiam motus corporis cȩleſtis pōt menſurari tempore, & ideo dicit Phi. quod motus mēſuratur tempore, & tēpus menſuratur motu, quia vna parte parua motus, vel temporis menſuratur pars magna, quȩ eſt magnum tempus. Quamuis etiā, ſicut patet ex prioribus, motus cȩleſtis menſuretur quandoq. motu inferiori, ſicut aliquis per motū ſuum cognoſcit in quo puncto eſt Sol, quamuis non ita certitudinaliter, ſicut per primum motū cognoſcit, & menſurat motū inferiorem: vnde multi per motū horologij cognoſcunt horas diei, vel cognoſcūt quantū primum mobile, vel Sol mouebatur hodie, vel poſt ortū Solis. Nec moueat aliquem, quia dico vnā partē motus cȩleſtis menſurari vna parte parua, quia qualiter motus habeat partes declaratū eſt, eodē modo debet intelligi tēpus habere partes. Sicut autem tēporalia entia menſurātur tempore, ita pōt dici quod illa, quȩ aliquādo ſūt, & aliquādo nō ſūt, tēpore menſurentur, quod nō eſt aliud, quā dicere, quod per tēpus pōt cognoſci, quod iſta diutius fuerūt nō entia, quā illa, & ideo nō eſt intelligendū quod mēſura habeat cauſalitatē, vel efficientiam ſuper menſuratū, vel quod menſuratū dependeat à menſura; niſi forte intelligendo quod menſura eſt illud, per cuius cognitionē intellectus pōt certificari quantū eſt aliquid, hoc eſt, quantū ad durationem, aut quantū ad quantitatē molis, vel quantitatē perfectionis, vel virtutis: ideo quāuis tēpus ſit menſura aliorū, tamen nō ex hoc, quod eſt mēſura, eſt cauſa aliorū, quāuis poſſit cōcedi quod tēpus eſt cauſa aliorū, ſicut ponitur quod motus primus eſt cauſa aliorū.

Cap. Decimum Quintum.

Sermo de menſura perpetuorum.

DVBITABITVR autem an perpetua, quȩ ſunt ſemper, menſurentur aliqua menſura, puta ȩternitate, vel ȩuo, ex quo nō menſurantur tēpore. Videtur enim quibuſdam quod Deus menſuretur ȩternitate, & ſubſtantiȩ aliȩ intellectuales ȩuo. Sed mihi videtur ſecundū opinionē Phi. quod prȩter tēpus nulla eſt mēſura, qua mēſuratur duratio cuiuſcunq. Quod enim Deus nō menſuretur ȩternitate, manifeſtum eſt, quia ſi ſic, aut iſta ȩternitas eſt Deus, aut alia à Deo, nō Deus, quia nihil mēſuratur ſeipſo, tūc enim aliquid menſuratur, quādo intellectus certificatur de quantitate alicuius, hoc eſt, quantū eſt, vel quantū durat, mouetur, vel quieſcit per aliud, & per cōſequēs ſeipſo non menſuratur: ſemper enim menſura aliqua cognitione notior eſt mēſurato, eo quod per menſurȩ notitiā accipiat intellectus notitiā menſurati, quod menſurat, quāuis non accipiat omnē notitiā menſurati, quia non incōplexam, immo illā prȩſupponit, ſed accipit notitiā cōplexā, ſicut aliquis cognoſcens pannū, ſed neſciens vtrum ſit triū, vel quatuor vlnarum, vel plurium, per vlnā deuenit in notitiā talem, ſiue certitudinem, quod pannus eſt tot, vel tot vlnarū. Sicut aliquis ſciens quod aliquis mouetur, & neſciens quādiu mouetur, per tempus cognoſcit quod tādiū, vel tādiū mouetur: patet ergo quod nunquā aliquid ſeipſo menſuratur. Et ita non menſuratur Deus ȩternitate, ſi illa ȩternitas eſt Deus. Nec pōt dici quod menſuretur ȩternitate, quȩ eſt alia res à Deo, quia nulla res inferior pōt eſſe menſura Dei, & ita Deus nullo modo mēſuratur, ſed eſt immenſus, hoc eſt, non menſuratur. Item probo quod aliæ ſubſtantiæ non menſurentur ȩuo, quia quæro quid eſt illud ȩuū, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, non ſubſtantia, quia eſſet ſubſtantia intellectualis. Et manifeſtum eſt quod vna ſubſtā-

Dei duratio nullam habet mēſuram.

Quod intelligētia ȩuo non menſurentur.

tia intellectualis non menſuratur alia quã tum ad durationem, quia nunquá per vnam ſubſtãtiam intellectualem põt ſciri de alia quantum duret, nec illud ęuum eſt accidẽs, quia per tale accidens non põt ſciri quamdiù durat ſubſtantia intellectualis, & ita ſecundũ viam Philoſophi ſubſtantiæ intellectuales, & corpora cęleſtia ſecundum ſuas ſubſtantias, eo quod ſunt perpetua, nõ menſurantur aliqua menſura, quia per nullam menſurá poteſt intellectus ſcire quádiù durant, ſed quod ſemper durant, hoc ſcitur per rationem, & non plus ſcitur per tempus, quod durent, quâ per eam ſcitur, quod tempus ſemper durat. Sed nunquid de perpetuis poteſt concedi quod ſint in tempore, ſed quod non menſurentur tempore. Dico quod propriè loquendo ſecundum Phi. non debemus concedere, quod ſunt in tempore, quia eſſe in tempore non eſt eſſe quando tempus eſt. ſicut nec eſſe in cęlo eſt eſſe quando cęlum eſt. Sed eſſe in tempore eſt menſurari tẽpore, quia ſecundum eundem nihil eſt in tẽpore, hoc eſt, nihil menſuratur tempore, niſi excedatur à tempore, hoc eſt, minus duret, quá tempus, quia de nullo alio poteſt ſciri per tempus, quandiù durat. Sed dices, & quęres de operationibus intellectus vtrum menſurentur tempore. Dico breuiter de omnibus, quæ aliquando ſunt, & aliquando non ſunt, ſiue corporalia, ſiue incorporalia, ſiue ſpiritualia, quę coexiſtunt tẽpori, vere menſurãtur tempore, & ideo ſicut tales intellectuales operationes, ſiue ſint in ſubſtantiis ſeparatis, ſiue in aliis quibuſcunq. ſi incipiant de nouo fieri, menſurantur tẽpore. Sed mutatio ſubita, quę nõ coexiſtit tempori, nõ tẽpore menſuratur; & ideo ſi eſſet aliqua res, quę ſtatim deſineret eſſe, illa non menſuraretur, quia nulli tempori coexiſteret, ſicut multi ponunt de inſtanti, & de mutato eſſe. Sed dico quod ſecundum viam Phi. nulla eſt res talis, nec eſſe põt, quia omnis res, quæ accipit eſſe per tempus durat, & tempore menſuratur, quia per tempus poteſt ſciri quandiù durat.

Opera Intellectus tẽpore menſurantur.

Cap. Decimum Sextum.

Quomodo tempus ſe habeat ad animam.

QVIA Phi. faciunt difficultatem circa tempus, an ſit in anima, vel poſſit eſſe ſine anima, ideo quomodo tẽpus ſe habeat ad animá eſt ſciendum. Patet autem ex dictis, quod in diffinitione temporis debet poni anima, vel magis reſpectu animę, quia in diffinitione temporis ponitur menſura, ſed menſura in ſua diffinitione reſpicit animá, quia menſura eſt illud per quod anima certificari debet de qũantitate ignota modo prǫexpoſito, & ita anima debet poni in diffinitione quid nominis tẽporis, & ita ſit in diffinitione, quę eſt, tempus eſt numerus motus ſecúdú prius, & poſterius, quę debet ſic intelligi, tẽpus eſt illud, quo anima menſurat ſecundú prius, & poſterius, per quod nata eſt certificari de aliis quantú durant, mouẽtur, vel quieſcút: niſi enim aliquis cõſideret, & numeret prius, & poſterius in mobili, hoc eſt, niſi cõſideret, & aduertat quod mobile vniformiter motú prius eſt in vno loco, & poſtea in alio, nunquá percipit tẽpus. Sed ex hoc quod cõſiderat, & percipit quod mobile vniformiter mouetur, & tamen prius eſt in vno loco, & poſterius in alio, perpendit tẽpus, & ita tempus eſt numerabile ab anima, ita quod hoc totú numerabile ab anima, vel ęquiualens ſibi, debet poni in diffinitione temporis. Vnde qui non conſiderat prius, & poſterius, non percipit tempus, ſicut patet de illis dormientibus, qui non perceperút prius. & poſterius, de quibus loquitur Ariſt. 4. Phy. te. cõ. 97. Ex quibus patet quod ſi anima non poſſet eſſe tempus, nõ poſſet eſſe tempus, cú nihil poſſet eſſe numerus vel menſura. Vnde motus primus quamuis poſſet eſſe vniformiſſimus, & velociſſimus, ſi tamen anima non poſſet eſſe tũc ille motus non poſſet eſſe tẽpus. Ideo dicit Ph. quod tẽpus eſt ens in anima, & quod ſuũ eſse cóspletú eſt ab anima, nihil aliud intelligens, niſi quod motus extra nõ poſset eſse tempus ſine anima. Sicut virgal, quę in rei veritate eſt vlna, non poſset eſse vlna, ſi anima non poſset eſse, quia ſi anima non poſset eſse per virgam, non poſset aliquid menſurari, ſed

Quomodo tẽpus completur per animam.

vlna

vlna eſt illud, per quod aliquid poteſt mẽſurari, ergo ſi anima nõ poſſet eſſe, virga nõ poſſet eſſe vlna, & tamen virga in rei veritate eſt vlna, & vlna eſt extra animã, nec eſt plus in anima, quã lapis; tamen anima ponitur in diffinitione huius nominis vlna, & nõ lapidis, & pro tãto poteſt dici, quod vlna eſt ab anima, & quod eſſe ſuum completũ eſt ab anima, & multa alia, quæ debent intelligi modo prędicto, ſic quod ſi anima nõ poſſet eſſe, nec aliquid poſſet eſſe vlna. Oportet autẽ ſcire, quod dupliciter põt intelligi, quod anima ponatur in diffinitione temporis, vno modo, vt denotetur tempus eſſe illud, per quod anima actualiter certificatur, vt iſta ſit deſcriptio temporis. Tẽpus eſt illud per quod anima certificatur. Alio modo, vt denotetur quod tempus eſt illud, quod anima poteſt menſurare alia, quãuis de facto non menſuretur, vel ſiue mẽſuret actualiter, ſiue non. Et tũc talis poteſt eſſe deſcriptio temporis. Tempus eſt illud, per quod anima põt certificari de aliis. Si primo modo intelligatur deſcriptio tẽporis, dico, quod primus motus non eſt tempus, niſi quãdo anima per ipſum menſurat alia, & tunc ſub iſto intellectu oportet cõcedere, quod ſi anima non numeraret motũ primum ſecundũ prius, & poſterius, menſurãdo alia per ipſum, non eſſet tempus. Si autẽ ſecundo modo intelligatur, tũc debet dici quod motus primus eſt tempus, ſiue anima mẽſuret, vel numeret primum motum, ſiue nõ, & ita tempus eſt, ſiue anima menſuret, ſiue non. Sed tamen non eſſet tempus, nec motus prius eſſet tẽpus, ſi anima nõ poſſet mẽſurare, vel numerare. Et iſte modus ponendi videtur magis cõſonus omnibus dictis, quia mirum eſſet apud vulgum dicere, quod nullũ tempus eſſet, ſi nulla anima numeraret motum primum, vel menſuraret. Et ideo hic nõ eſt difficultas realis, ſed vocalis magis, patet quod illud quod eſt tempus, eſt realiter extra animam, tamẽ dependet ab anima, quod ſit tempus, cum tempus non poſſit eſſe tempus, ſiue illud quod eſt tempus, non poſſit eſſe tempus ſine anima: hoc eſt niſi anima nõ poſſet eſſe, ſicut cauſa in nullo dependet à ſuo effectu, & tamẽ cauſa nõ poteſt eſſe cauſa ſine ſuo effectu.

Cap. Decimum Septimum.

Quomodo tempus ſit cauſa corruptionis.

QVIA multi ponunt, quod tempus eſt cauſa corruptionis rerum, videndum eſt quomodo eſt hoc poſſibile. Eſt autem ſciendũ, quod cum tempus ſit realiter primus motus, non eſt aliter tẽpus cauſa corruptionis, quam primus motus. Nunc autẽ primus motus eſt cauſa aliquo modo nõ tãtum corruptionis, ſed etiam generationis, quia aliquãdo primũ mobile, quando mouetur debitè approximatur quibuſdã, & à quibuſdã elongatur, ideo tũc eſt cauſa aliquorũ, & aliqua corrũpuntur tunc. Tamen dicitur ſpecialiter cauſa corruptionis rerũ, quia ſecundũ quod aliquid magis durat ex continua actione corporũ exteriorũ, & interdum interiorum, ſi res ſit cõpoſita, & habeat partes intrinſecas, debilitantur res in ſua virtute, vnde tãdem accidit corruptio, non autem ex hoc, quod aliqua res diutius durat, generatur, & ideo dicitur, quod tempus eſt cauſa corruptionis magis, quam generationis, cum tamen in rei veritate illud, quod èſt tempus, ſit cauſa tam generationis, quam corruptionis, non tamẽ propter hoc, quod eſt tempus, ſiue enim eſſet tempus, ſiue non, ſi tamen eſſet motus primus, nihilominus tamen eſſet cauſa generationis, & corruptionis, vnde quamuis motus primus ſit tempus, non tamen propter hoc, nec minus, nec plus res corrumpitur, ſed quia omne temporale neceſſario corrumpetur, ideo dicitur, quod tempus eſt magis cauſa corruptionis, quam generationis.

Cap. Decimum Octauum

Sermo de exiſtantia loci.

SICVT omne, quod mouetur, mouetur in tempore, ita omne, quod mouetur, mouetur in loco, ideo poſt conſiderationẽ de tempore reſtat conſiderare de loco. Circa quod videndum eſt, an locus ſit, & quid locus ſit, & quomodo corpora ſunt in loco, & quomodo locus ſe habeat ad locatum. Quod autem locus ſit, manifeſtũ eſt, nec poteſt demonſtrari à priori, tamen

conſtat,

conſtat, quod locus eſt per hoc, quod corpora localiter mota tranſeunt de loco ad locum, & in eodem loco ſuccedunt inuicē diuerſa corpora. Alias autem rationes ponit Philoſ. 4. huius, quia tamen omnes cōcedunt locum eſſe, ideo illas omitto, quare eas videas ibi.

Cap. Decimum Nonum.

Sermo in opinionibus entitatis loci.

QVID autem ſit locus, maiorem habet difficultatem. Vnde, & circa hoc ſūt diuerſæ opiniones. Quidā enim, ſicut recitat Ariſt. quarto huius, dixerunt, quod locus eſt ſpatiū contentū inter latera cōtinentis, ſicut totum ſpatiū, contentū inter parietes domus, eſt locus, & ſic de aliis. Alii autē dixerūt locū eſſe materiā, alii autē formam. Philoſ. vero ponit locū eſse vltimū corporis continentis. Duę vero opiniones poſtremę paruā, vel nullā habent apparentiā, & modernis tēporibus malos defenſores habēt, quas Phil. ſufficienter improbat. Ideo circa eas, nolo immorari. Prima autem opinio quauis nō habeat multos defendentes, qui ſunt ſapientes, apparent tamen vulgo, ideo circa ipſam aliqualiter eſt inſiſtendū, quod enim non ſit ſpatium medium probat Philoſophus quarto huius, quia, ſi ſpatium medium, ſiue dimenſiones eſſent locus, ſequeretur quod loci eſsent infiniti.

T. com. 3.

Locum non eſſe ſpatiū ſeparatum

Iſta conſequentia patet euidenter, & poteſt declarari multipliciter, vno modo ſic. Si ſpatium medium eſset locus, tunc aliquid diceretur in loco, quia eſiset pręſens ſpatio, ſed ita conuenit cuilibet parti totius eſse pręſēs tali ſpatio, ſicut toti, ęqualiter ergo totum eſt in loco, & pars quælibet, ſed ſunt infinitę partes, ergo loca ſunt infinita. Item ſi locus ſit ſpatium, ergo locus eſt corpus, ſed omne corpus eſt mobile, ergo illud ſpatium moueri poterit de loco ad locum, & ita loci erit locus, ſed non eſt veriſimile, quod aliquod corpus quieuerit per tempus infinitum, ex quo ergo illud ſpatium, ſi ſit corpus, mouebatur, & nunquam quieuit continue per tempus infinitum, ergo infinities fuit motum, & per conſequens erunt infinita loca, quia infinita loca mouebantur infinities ad vnum. Circa declarationem iſtarum rationum, & aliarum, quas facit Ariſtot. volo inſiſtere, ſed hoc ſufficere videtur ad probandum; quod locus non ſit tale ſpatium. Quia, aut tale ſpatium eſt aliud à locato, aut non, ſi non, ergo locus eſt locatum, & idem eſset in ſeipſo, ſicut in loco; ſi aliud, Et manifeſtum eſt, quod non eſt aliquod indiuiſibile, ergo eſt diuiſibile, & extenſum, non magis ſecundum vnam partem, quam ſecundum aliam, ergo eſt longum, latum, & profundum, per conſequens eſt corpus, quod nō poteſt dici. Tum quia duo corpora tunc eſsent ſimul, tum quia nec ſubſtantia, ſicut patet inductiuè, nec accidens, quia nullū accidens poteſt eſse ſine ſubiecto, ergo oportet ponere aliquam ſubſtantiam, in qua eſset illud accidens, & ita haberetur, quod præter ſubſtantiam locatam eſset alia ſubſtantia infra latera continentis. Sed forte inſtabis contra iſtam rationem, quia dices quod in ſuperioribus dictum eſt, quod aliqua quantitas eſt ſubſtantia, & aliqua quantitas eſt qualitas. ergo eadem ratione quantitas eſt albedo, & color, & per conſequens color eſt corpus, & ſimiliter materia ſubſtantialis, & forma, ſed iſta ſtant ſimul, & ſunt in eodē loco, ergo plura corpora ſunt in eodem loco, vel ſimul, ergo per hoc, quod plura corpora non poſſunt eſſe ſimul, non poteſt probari, quod locus non ſit ſpatium. Ad ſolutionem iſtius rationis eſt ſciendum, quod corpus dupliciter accipitur, Vno modo pro illo, quod per ſe exiſtit abſq; hoc, quod ſit pars alterius Alio modo dicitur corpus eſse illud quod eſt longum, latum, & profundum. Primo modo impoſſibile eſt ſecundum viam *Philoſophi* duo corpora eſse ſimul, & talia corpora eſsent ſpatium, & locatum, quia manifeſtum eſt, quod nec locatū eſt pars alterius, nec ſpatium, vel ſaltem vtrunq; poteſt non eſse pars. Si autem corpus accipitur ſecundo modo, dico ſecundum viam Philoſ. quod duo corpora ſunt ſimul imo plura, quia ſic omne quod eſt longum, latum, & profundum.

Corpus dicitur dupliciter.

dú eſt co pus. Et manifeſtú eſt quod plura quorú quodlibet eſt longú, latú, & profundu, ſunt ſimul. Et ſi dicas quod ſi duo corpora eſsent ſimul, eadē ratione & infinita. Similiter ſi plura eſsent ſimul, ergo vnum penetraret reliquú, ſed manifeſtú eſt quod nó plus penetraretur vnú illorú ſecundum vna dimenſionem, vel parté, quá ſecundum aliá, ergo ſecundú quálibet, & per conſequens, cú ſint partes infinitę, vnú illorú corporú erit actu diuiſú in infinitú. Dico quod ſi duo corpora primo modo dicta eſsent in eodem loco, eadem ratione infinita corpora poſsent eſse in eodem loco, ſed non eſt ſic ſecundo modo accipiendo.

Cap. Vigeſimum.

VISO quid non ſit locus: videndum eſt quid eſt locus. Diffinit itaq; Philoſophus quarto Phyſicorum ſic locú. Locus eſt
T. com. 28. vltimum corporis continentis contigui immobile primum. Ad cuius euidentiá eſt aduertendú, quod nó eſt imaginandum, quod in corpore locante ſit aliqua ſuperficies, vel aliquis ſitus diſtinctus totaliter à corpore locante, quomodo albedo diſtinguitur ſecundú ſe totam à ſubiecto, & quod illa ſuperficies, quæ eſt finis vel terminus, eſt
Sermo in loci quiditate. locus ęqualis locato. Et ita circa hoc primo oſtendendú eſt, quod locus non eſt aliqua res talis. Secundo videndú eſt de intentione Phi. & Com. Tertio ponendę ſút aliquę obiectiones, & ſoluendę. Primo probatur quod locus non ſit talis res alia à corpore locáte, quia ſuperficies non eſt aliqua res alia à corpore locato diſtincta ſecudum ſe totá, ergo nec locus: cóſequétia patet, quia locus, & ſuperficies nó diſtinguuntur realiter. Quod patet per hoc, quod ſuperficies eſt vltimú corporis, & ſecundum Cómen. eſt finis, & terminus, ſed nulla res alia eſt finis corporis, ergo &c. Aſſumptú primo de ſuperficie probatum eſt alibi. Similiter fruſtra &c. Sed omnia, quę dicuntur de loco, poſſunt ſaluari abſq; hoc quod locus ſit res diſtincta à ſuperficie corporis continentis, quia ita locabit, & ita cótinebit, & ita erit ęqualis locato, ſicut, ſi ponatur alia res, ergo locus non eſt alia res à ſuperficie. Similiter ſi locus ſit alia res à ſuperficie, oportet quod ſit in genere quátitatis, qualitatis, vel ſubſtátię. & non poteſt poni in genere qualitatis, nec ſubſtantię, vt ſatis patet ergo eſt in genere quátitatis, & ſi ſic, vel eſt quantitas continua, vel quátitas diſcreta, certú eſt, ergo eſt continua, aut ergo eſt ſucceſſiua, aut permanés, non ſucceſſiua, manifeſtú eſt, ergo permanés, vel eſt ergo longitudo, vel latitudo, vel profunditas, vel tales dimenſiones, & per conſequés eſt linea, vel ſuperficies, vel corpus. Cófirmatur, omne quátum permanens continue eſt longum, latú, & profundú, igitur locus eſt longus, latus, & profundus & nihil eſt huiuſmodi, niſi ſit linea, vel corpus, vel ſuperficies, ergo &c.
Quod autem ſuperficies non ſit alia res ſecundú ſe totam diſtincta, probatú eſt alibi, Superficiē nó diſtingui à corpore rationes.
& hic etiá adduco quaſdam, quia tunc eſſet accidens, & haberet ſubiectú primú. Tunc queritur de iſto ſubiecto primo, aut eſt corpus, aut aliud à corpore. Si primú, tunc in qualibet parte iſtius corporis erit aliquid ſuperficiei illius, quod eſt manifeſte falſum, quia in parte citra illam ſuperficié non eſt illa ſuperficies, aut alia pars eius, nec ſubiectú primum eſt aliud à corpore, quia tunc eſſet ſubſtátia, ſed omnis ſubſtátia extenſa eſt longa, lata, & profúda, igitur habet aliquam partem in profundo, que non eſt ſub aliqua parte illius ſuperficiei, ergo &c. Ité ſi ſuperfices eſſet in aliqua ſubſtátia, ſicut in ſubiecto, eadé ratione corpus, quod eſt quantitas, eſſet diſtincta res à ſubſtantia, & eſſet in ſubſtátia ſubiectiuè, & tunc quero de illis ſubiectis duobus, quorú primú eſt illius ſuperficiei, & aliud primú corporis, aut faciút per ſe vnú, aut vnú eſt pars alterius. Si faciunt ſe vnú, & ſunt ſecundum ſe tota diſtincta, vel ergo ſunt partes eiuſdé rationis, vel diuerſarú, non poteſt dari primú, quia inpoſſibile eſt, quod vnum, quod eſt diuiſibile ſecundú profunditatem, & aliud, quod eſt diuiſibile ſecundú profunditatem, ſint eiuſdem rationis, quia quę ſút eiuſdem rationis, vel ſút eodem modo diuiſibilia, vel eodem modo indiuiſibilia Similiter

tunc

tũc aliquod compoſitum continuũ componeretur ex indiuiſibilibus, quod eſt impoſſibile. Nec poteſt dici quod eſſent alterius rationis in cõpoſito, quia tũc vnũ eſſet forma, & aliud materia, quod patet eſſe falſũ, quia non ſunt plures partes alterius rationis in cõpoſito, quę ſunt ſubſtantię niſi materia, & forma. Nec poteſt dici quod vna illarũ ſubſtantiarũ ſit pars alterius, quia tũc ſubſtãtia diuiſibilis componeretur ex indiuiſibilibus. Nec põt dari ſecundũ membrum, quia tunc talis ſubſtantia corporea nõ eſſet per ſe vnũ. Similiter ſi ſuperficies ſit alia res, accipio duas partes continui, & quęro vtrũ eſt eadem ſuperficies terminans vtranq; partẽ corporis continui, aut alia, & alia; ſi eſt alia, & alia, igitur ſuperficies eſt imediata ſuperficiei, quod Ariſt. improbat. Si ſit vna, per diuiſionem corrũperetur, & generarẽtur duæ ſuperficies, quia non eſt maior ratio, ſi remanet illa ſuperficies poſt diuiſione, quod remaneat in vna parte, pluſquã in alia, & per conſequẽs manet ſimul in vtraq; vel in nulla: ſed impoſſibile eſt quod per diuiſionem vna ſuperficies corrũpatur, & duo generentur, quia generãs nõ deſtruit vnũ indiuiduũ vnius ſpeciei, & generat nouũ indiuiduũ eiuſdem ſpeciei in eodẽ ſubiecto. Tum, quia accidens non deſtruitur, niſi vel per deſtructionẽ ſubiecti ſui, vel per inductionem ſui cõtrarii, vel alicuius incõpoſſibilis, vel per abſentiã ſuę cauſæ, quorũ nullũ poteſt contingere in propoſito. Tum, quia accipio ſubſtantiam, quę eſt primũ ſubiectũ primę ſuperficiei, & quæro vtrum illa manet, vel non. Si non manet, igitur aliqua ſubſtantia per diuiſionẽ corrumpitur, & non materia, igitur forma. Tunc quæro de materia, quæ erat ſub forma corrupta, vbi manet, vel in vtraq; vel in neutra, vel in altera, nõ in vtraq; manifeſtum eſt, nec in neutra; quia tunc ſeparetur, & eſſet noua inductio formę, & tũc non eſſet ſola diuiſio, quod eſt impoſſibile. Nec manet in altera. Tum quia non eſt maior ratio quare ſit plus in vna, quã in alia. Si primum ſubiectũ manet, aut igitur in vtraq; parte, aut in altera tantum, aut in neutra, & deducatur idẽ quod prius. Propter iſtas rationes, & alias conſimiles, quæ adducuntur alibi, dicendum eſt, quod locus non eſt alia

Determinatio quod ſuperficies non diſtinguitur à corpore.

res à ſuperficie, nec ſuperficies à corpore, nec aliqua talis res diſtincta a corpore ſecundũ ſe totam, quia in corpore nulla eſt pars, quin ſit pars corporis, vel ſit accidens in eo, vel locatum coniunctum cum eo. Si autẽ ſit pars corporis, oportet quod ſit corpus. Si ſit accidens in eo, oportet quod ſubiectum primum illius accidentis, ſit realiter corpus vel pars corporis, & ſiue ſit pars corporis, ſiue corpus, neceſſario accidens in eo ſicut in primo ſubiecto eſt diuiſibile ad diuiſionem illius, ita quod in qualibet parte illius ſubiecti primi ſit aliqua pars illius accidentis, & per conſequens illud accidens eſt extenſum ad extenſionem corporis, ſic per conſequens eſt longum, latum, & profundũ, ſicut ſuum ſubiectũ primum. Si autẽ ſit in corpore ſicut in loco, tunc manifeſtum eſt etiam, quod eſt corpus ſi ſit circũſcriptiuẽ in loco. Et ideo ſecundũ intentionem Ariſt. eſt dicendum, quod non intelligit, quod locus ſit alia res à corpore locante, & vna alia res terminãs ipſum corpus; ſed ipſũ corpus ſe ipſo terminatur ex hoc quod non habet partes vlterius protenſas. Nec eſt aliud ipſũ corpus terminari, vel finiri niſi tantũ extendi ad extenſionem æqualem vnius partis, & non amplius. Vnde ſi eſſet talis res circundans ipſum corpus, ſicut aliqui imaginãtur, ſi illa res deſtrueretur, nihilominus corpus remaneret finitum, & nõ magis, nec minus, quã prius; & ideo non eſt talis alia res. Sed intellectus Philoſophi eſt dicere quod locus eſt continẽs aliud corpus ſibi vbiq; cõtiguũ, ita quod non eſt aliqua pars corporis continentis exterior, quę ſcilicet tangat aliud corpus, quin contiguatur alteri parti loci, nec è cõuerſo, nec aliud intendit Philoſophus per vltimũ corporis continentis. Et ideo quado dicit, quod locus eſt vltimũ corporis continẽtis, debet ſic intelligi, quod locus eſt corpus, cuius quęlibet pars vltima contiguatur locato. Et vocatur hic vltima pars quælibet pars, quæ tangit aliud corpus. Sicut ſi ſit corpus, puta aqua in vaſe, quęlibet pars, quę tangit vas, vocatur hic vltima, nõ quod ſit ſimpliciter vltima, ita quod quęlibet alia ſit terminata ante eã, ſed dicitur vltima, quia tangit aliud corpus, ſcilicet aquã, inter quæ non eſt aliquod mediũ, nec aqua, nec pars

quę-cuius eſt pars. Exemplo in illo ſi ſit corpus bipedalis quantitatis, vna medietas erit vltima, & alia medietas illius erit vltima, & alia illius, & ſic in infinitum, quia quęlibet illarum terminatur ad aliud corpus extra illud, quod eſt bipedalis quantitatis. Sed partes medię vocantur non vltimę alię ſcilicet quę terminantur ad puncta media imaginata inter vltima hoc eſt, terminarentur ſi eſſent talia puncta. Si igitur corpus eſt locus, cuius quęlibet pars vltima ex illa parte, qua locatū cótinet tanquā locatū, & partes illius cō ſimiliter tangāt corpus locās, ita quod quęlibet pars vltima locati tangat vltimā partē locātis, tunc eſt proprius locus. Ita ſi eſſet vas plenū aqua, ita quod nó eſſet in vaſe aliquod foramē, túc illud vas diceretur locus proprius illius aquę, quia nulla tunc eſſet vltima pars aquę interior, quin tangat aliquam partem vaſis.

Cap. Vigeſimum primum.

Dubitationes contra determinata.

SED contra iſta vidētur aliqua argumēta. Primo, quia vltimū cótinentis non eſt illud cótinens, quia idē eſſet vltimū ſuiipſius. Itē dicit Ariſt. quod totus aer non eſt locus proprius alicuius, quia túc locus, & locatú nō eſſent ęqualia, & tunc quia ratione totus aer nó eſt locus alicuius, nec totú corpus eſt alterius, & tamen oportet, quod aliquid illius ſit locus alicuius, & non aliqua pars, propter eandē rationē, ergo aliquod aliud, quod nó pōt eſſe niſi ſuperficies. Similiter locus, & locatū ſunt ęqualia, ſed corpus continēs non eſt ęquale cótento, ergo, &c. Item Com. c. 33 dicit quod alius eſt locus primus, alius eſt locus ſecundus, & dicit quod res eſt in ſecūdo loco, quia eſt in primo, & exemplificat ſicut aliquid eſt in aere eſt, quia in vltimo fine cótinente ipſū, igitur ſecundū eū aer eſt locus ſecūdus, & vltimū continens corpus ipſū locus primus, & per conſequēs sūt diſtinctę res. Itē eodē commēto ſubdit poſt, quod ſi totus aer eſſet locus illius rei primus. Tunc locus rei vel res, quę dicitur eſſe in loco illo, nó eſſent ęquales, & hoc habet pro inconueniēti. Itē in prędicamētis Ariſt. ponit lineā eſſe diſtinctam ſpeciē à corpore, & ponit ibidē locum eſſe

Phyſic.

diſtinctam ſpeciē a linea, ſuperficie, & corpore. Item corpus eſt mobile per ſe, ſuperficies non eſt niſi mobilis per accidens, ergo &c. Item falſum ſumitur in arguendo, ſcilicet quod omne accidens habeat ſubiectum primum, ita quod ſit totum in toto, & pars in parte, quia intellectus eſt primò in homine, & non pars in parte. Similiter dualitas eſt primò in duplo, & tamen nō eſt pars in parte, & ſic de aliis. Item omne corpus eſt mobile, ſecundum Philoſ. locus eſt immobilis, vt patet in diffinitione loci, ergo &c. Iſtis tamen non obſtantibus, dicendum eſt, quod nec locus, nec ſuperficies eſt alia res à corpore. Ad primum dicendum quod aliquid vltimum continentis eſt illud continens, & aliquod non, nam accipiendo vas continēs aquam, ipſum vas vocatur vltimum continentis, ita quod ſit conſtructio intranſitiua, vltimum continentis, ideſt vltimum quod eſt continens, ſicut dicimus naturam hominis, hoc eſt, natura, quæ eſt homo. Pręter etiam illud continens vltimum, quælibet pars vaſis tāgentis totam aquam, vocatur vltimum continentis, & quælibet illarum diſtinguitur à vaſe continente, ſicut pars à ſuo toto, & è conuerſo, ita quod iſte locus non eſt illud continens, hoc eſt, non eſt totum, ſed eſt pars. Tamen pro iſta auctoritate, & aliis ſequentibus eſt ſciendum ad intentionem Philoſophi, & Com. quod ipſi diſtinguunt continens commune à continente proprio, & primum vocant ſimpliciter continens, & ſecundum vocant vltimum continens, ſicut exemplificat de aere, & de vltimo aeris reſpectu alicuius corporis exiſtentis in aere, puta reſpectu ligni, vel nauis, vel alicuius talis, quia totus acceptus cathegorematicè continet illud corpus, & tamen non eſt proprius locus, quia continet illud, & multa alia, ſed vltimum corporis quodcunque ſit illud, quod non continet niſi precise illud eſt locus illius proprius, & illud vltimum differt à toto aere ſicut pars à toto, & ideo locus proprius non eſt totus ille aer, ſed pars illius aeris. Et per idem dicitur ad aliud, quod totus aer ſcilicet qui continet illud corpus, &

Dilutio rationum.

aliud

aliud,nó eſt locus proprius,& primus illius,
& hoc eſt,quia habet multas partes,quę nó
tangunt illud corpus,pręter partes ſuperio-
res,quę tangunt aliá ſphęrá ſuperiorem. Et
non ſequitur totus aer non eſt locus iſtius,
ergo nec aliquod aliud corpus eſt locus ali-
cuius,quoniam multę ſunt partes aeris inte-
riores,quę non continét partes iſtius locati,
ſed non eſt ſic de quocúq; alio corpore,quia
alicuius corporis nulla eſt pars vltima inte-
rior,quin contineat parté vltimam aliquam
iſtius locati, & ideo eſt locus primus iſtius
locati,ſeu corporis.Ad aliud patet,quádo di
citur quod locus,& locatú ſút ęqualia, quia
ſcilicet ſecundú partes, vltimas tangunt ſe,
nec ex parte illa locus eſt lógior, vel latior
locato,& tamé cum hoc ſtat,quod locus ſit
magis,vel minus ſpiſſus locato,& etiá quod
partes ſuperiores, vel inferiores nó tangétes
locatú ſint longiores,vel latiores. Ad aliud
patet,quod Com.loquitur de toto aere có-
tinente multa corpora,&, ideo nullius ali-
quorú corporú eſt locus primus , ſed in iſto
toto aere dicitur corpus locatum,quia eſt in
aliqua parte corporis aeris , cuius quęlibet
Com. 33. pars vltima verſus locatum tangit aliquam
parté locati.Et quod Cóm.loquatur de toto
aere patet, quia dicit quod finis rei alius eſt
proprius rei,qui dicitur in aere eſſe, & alius
eſt,qui cótinet ipſú, & aliud verbi gratia,fi-
nis totius aeris, & ideo totus aer eſt locus
ſecúdus, ſed aer ęqualis ſecundú lógitudiné
latitudinem,& profunditaté locato eſt lo-
cus proprius,& iſti duo aeres,vt ita dicá di-
ſtinguútur ſicut totú,& pars.Et per idé patet
ad aliud,quod loquitur de toto aere,& ideo
locus proprius eſt locus ęqualis , ſed totus
aer non eſt ęqualis ſecúdum omnem dimé-
ſionem,quia ex omi parte eſt longior,& la-
tior, & ideo primus locus talis corporis nó
eſt ęqualis tali corpori,accepto ęquali mo-
do pręexpoſito, quia corpus occuparet totú
aeré ſed continentur multa corpora in aere.
Et quando dicitur, quod locus proprius loca
ti eſt vltimus finis aeris continentis locatú,
accipit finem pro vltima parte cótigua cor-
pori locato,& ęquali ſibi modo pręexpoſi-
to, & diſtinguit inter vltimú finem,& cęte
ras partes,quę non tangunt locatum,volens
quod vltimus finis ſit locus locati,& nó alia
pars,quę non eſt vltima.Et ideo dicit quod
illa vltima quę ſcilicet ſunt ęqualia loca-
to,ſunt finis , & non vltima contermina, quę
ſcilicet tágunt non ſolum illud corpus, ſed
etiam alia.Et ſi dicatur,quod ſecundú iſtum
modum eiuſdé locati erunt plura loca pro-
pria,& prima, quia ſi aliqua pars vltima ſit
locus proprius,& primus alicuius corporis,
hoc nó eſt, niſi quia quęlibet pars eius con-
tingatur illi corpori locato, & nullus al e-
rius corporis pars vltima cótingatur illi,ſed
tales ſunt multę partes,ergo quęlibet illarú
eſt locus proprius,& primus.Dicendú quod
quęlibet illarú partiú poteſt dici locus pro-
prius, & primus,tamé propriiſſimé pót vo-
cari locus tátum quod non eſt pars alicuius
talis,ſicut ſi vas ſit plenú aqua,propriiſſimé
poteſt vocari vas locus proprius,& primus
aquę , & tamé quęlibet pars illius vaſis pót
vocari locus etiá proprius primus diſtingué
do locú propriú primú contra locú cómu-
nem . Nec inconuenit eſſe plura loca vnius,
dúmodo illa plura ſe habeant ſicut pars , &
totú,ita quod quibuſcunq; acceptis duobus
vnus eſt,pars alterius.Ad aliud de libro præ-
dicamentorú dictú eſt ibi quod Phil. nó in-
tédit dare séper diuerſas ſpecies importátes
diuerſas res,ſed intendit diuerſum ordinem
cóceptuum , puta quia alius ordo eſt ſupe-
riorú hoc eſt,illorú cóceptuú,& aliorú, &
ſufficit hoc ad intentioné Phil. ſicut decla-
ratum eſt ibi.Et per idé patet ad aliud, quod
corpus, & locus poſſunt dici diſtinctę ſpe-
cies,quia de aliquo,quod primo eſt corpus,
& locus,poteſt vere affirmari,quod eſt cor
pus, & locus,& poſtea pót affirmari,quod
eſt corpus,quamuis non ſit verus locus. Si-
cut ſi aer contineat corpus,túc eſt veré cor-
pus, & locus , & ſi poſtea partes iſtius aeris
cóiungantur,& non contineát aliquid , ille
idem aer túc eſt corpus, tamen tunc non eſt
locus , quod poteſt contingere ſolum per
motú locale,quia per hoc, quod partes ap-
proximátur,quę diſtabát prius, & hoc ſuffi-
cit ad diuerſum ordiné Pręd
icabiliú, & ad
hoc,quod talia prædicabilia ſint ſpecies di-
uerſę , de quibus loquitur Phil. ibidem. Ad
aliud dico, quod iſta eſt vera,ſuperficies eſt
per ſe mobilis, ſi iſta ſit vera, corpus eſt per
ſe mobile, tenendo quod neutra ſit com-

poſita, vt patet ſyllogiſmo expoſitorio, tamen quia iſtam, Phil. intelligit, vt cópoſitam, corpus eſt per ſe mobile, propterea alia cópoſita debet negari, ſcilicet iſta, ſuperficies eſt per ſe mobilis, quia licet iſta ſit vera, per ſe, corpus eſt mobile, tamé hęc nó eſt vera per ſe, ſuperficies eſt mobilis. Vnde quia in diffinitione exprimére quid nominis ſuperficiei ponitur aliquid negatiuum, ideo nó eſt talis prędicatio per ſe, ſuperficies eſt mobilis, & hoc ſufficit ad intentioné Phil. quod hæc non ſit vera per ſe, ſed per accidens, ſuperficies eſt mobilis. Ad aliud dicédum, quod quáuis accidens ſpirituale, quod eſt in homine, non ſit in parte intellectiua, vel intellectiuali hominis ſecúdum partem ſuam: Si tamen primum ſubiectú ſuum ſit homo, tunc pars ſua eſſet in parte hominis. Sed nunc ita eſt, quod ſuum ſubiectum primum eſt, anima intellectiua, quæ eſt indiuiſibilis, ſicut intellectus eſt indiuiſibilis, & quia anima intellectiua eſt indiuiſibilis, & eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, & non pars in parte, ſimiliter ſuum accidés ſpirituale, & exépla non ſunt ad propoſitú, quia dupleitas, & corporeitas, & huiuſmodi nó sút aliæ res ſecundú ſe totas diſtinctę à duplo, & à corpore, ſicut alias fuit oſtéſú.

Cap. Vigeſimum Secundum.

In ſua expoſitione ſuper prędicaméta Ariſt. De immobilitate loci.

QVANTVM ad vltimam argumentum de immobilitate eſt ſciendum, quod iſtam immobilitaté loci diuerſi diuerſimode nituntur ſaluare. Dicunt enim aliqui, quod in loco eſt duo cóſiderare ſcilicet illud quod eſt materiale in loco, & eſt ſuperficies corporis cótinentis, & illud quod eſt loci ibi formale, ſcilicet ordo ad vniuerſum. Ordo autem ad vniuerſum eſt immobilis ſemper. Locus enim quantum ad id, quod eſt formale, in eo nec per ſe, nec per accidens moueri poteſt, quod probatur dupliciter, ſicut videmus quod quęlibet pars fluuij mouetur, totus autem fluuius eſt immobilis quodámodo, quia quádiú durat curſus aquarú, tandiú curſus retinet eundem ſitú. Nauis enim ſi ligetur ad anchora, vt nó ſimul cú flumine fluat, dicetur séper eſſe in eodé loco, quia licet alia, & alia aqua ſit ſub ter eá, & licet nauis nó séper habeat eundé ordiné ad partes fluuij, quia partes illæ ſunt mobiles, quia tamen quandiú ſit ligata eſt in eodem loco reſpectu ad totú fluuiú, propter quod totus fluuius dicitur quodámodo locus, quia locus nauis habet immobilitaté ex ordine ad totú fluuiú. Similiter & ſi quælibet pars vniuerſi ſit mobilis, tamé vniuerſú non mutat locú ſuum ſecundú ſubſtantiá, &. locus ſursú dicitur eſſe immobilis, quia cócaui orbis Lunæ ſemper eſt in eade diſtátia ad centrú, nec eſt in vno tépore plus ſursú, quam in alio: & ſicut locus ſurſum eſt immobilis, ita locus deorſum. Eſt enim immobilis, quia centrú immobilitatis perſeuerat, ſic ergo in ordine ad vniuerſum habet locus immobilitatem. Et ideo ſi aliquid in terra quieſceret, & véto flante moueretur, & tolleretur totus aer, qui eſt circa ipſum, non diceretur mutare locú, quia eundem haberet ordiné ad totú vniuerſum, qué prius habuit, ergo &c. Probat idem ſic, quia licet ſe quieſcente poſſet moueri aer, qui eſt iuxta te, vel aliquod corpus circúdans te, ſemper tamen dicereris eſſe in eodé loco, quia ſemper es in eadem diſtátia ad centrú, & ad polos múdi, qui ſunt immobiles, & ideo per reſpectú ad iſta locus dicitur eſſe immobils. Sed iſta nó declarát immobilitaté loci, quia ſi locus ſit formalis ordo, vel diſtantia ad centrú, & ad polos múdi, ille ordo erit formaliter in corpore locante, & non in corpore locato, quia ſi eſſet in corpore locato, ſequeretur quod locus formaliter eſſet in corpore locato formaliter, quod eſt contra Ariſt. Si ergo ille ordo eſt in locante, ergo mutato locate mutatur ordo, quia cú ordo ſit quoddam accidens, ſecundum iſtum errorem, impoſſibile eſt ordiné illum eſſe immobilem mutato habente eundem ordiné. Confirmatur, quia ſicut accidens abſolutú non poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis, & hoc idé accidens numero, ita accidés, quod ipſi ponunt reſpectum, non poteſt idem numero manere in diuerſis ſubiectis ergo moto ſub iecto habente illum ordinem nó manet ille ordo, ergo ille ordo non manet immobile mutata ſuperficie continentis, & per conſequens non manet locus formaliter immobilis, ſicut nec materialiter. Ex iſto patet quod non declarant immobilitatem loci prop-

Impugnatur communę placitum de loci immobilitate.

propter hoc, quod circũdans aliud mouetur ipſo nõ moto Na ex quo locus ſecundũ eos materialiter eſt alius & alius,& formale in loco ſit in materiali loco, ita quod maneat in loco materiali,ſicut materiale in loco eſt aliud,ita habẽt cõſequẽter dicere quod formale in loco eſt aliud . Et confirmatur quia ſecundũ eos formale in loco eſt accidẽs exiſtẽs in ſuperficie, quę eſt materiale in loco, ſed ſuperficies con[t]inentis eſt alia,& alia,ergo ordo ad vniu[er]ſũ,qui eſt in ſuperficie,eſt alius,& alius Ite ex idẽtitate diſtãtię locati nõ ſequitur idẽtitas loci,quia diſtãtia nauis ad totũ fluuiũ non eſt locus nauis, quia tunc locus eſſet ſubiectiuẽ in locato, quod ipſi negãt Et confirmatur,quia cũ nauis locatur, eſt in fluuio,& manifeſtũ eſt,quod totus fluuius non eſt proprius locus nauis, ergo aliqua pars fluuij eſt locus proprius nauis , & tũc arguitur ſic.Hęc pars fluuij,quę eſt proprius locus nauis;non habet ſẽper eãdem diſtantiã ad totũ fluuium,& hęc pars fluuij eſt proprius locus nauis,ergo per conſequẽs nõ eſt ſemper idem locus nauis.Si dicatur quod hęc pars eſt primo proprius locus nauis, & deinde alia pars habens eãdem diſtantiã Contra, quando ſuccedit alia pars non eſt eadẽ diſtantia illius partis precedentis;& cũ ſecundũ eos diſtãtia ſit accidens in diſtante, ſi diſtans ſit aliud,oportet quod diſtantia ſit alia,& per conſequens non eſt idẽ locus formaliter.Et confirmatur totũ precedens,quia locus proprius alicuius,vel eſt ſubſtãtia,vel accidens ſubſtantię,non primũ,igitur ſecundũ.Et ſi flante vento non maneat eadẽ ſubſtãtia,ergo nec idẽ accidẽs numero. Et quod in ſecũda ratione dicũt de immobilitate polorum & centri, procedit ex immaginatione, falſa videlicet , quod in cęlo ſint poli immobiles, & in terra ſit vnũ centrũ immobile, quia hoc eſt impoſſibile . Impoſſibile eſt enim ſubiectũ alicuius accidẽtis moueri localiter ,& ipſũ accidens, ſi maneat idem numero non moueri localiter. Sed quodlibet ſubiectũ accidentis,& quęlibet ſubſtantia in cęlo mouetur localiter, ergo poli, vel non manebũt idem,vel mouebuntur localiter.Si dicatur quod polus, qui eſt indiuiſibilis, non eſt pars cęli,cũ cęlũ ſit cõtinuũ,& continuũ non componatur ex indiuiſibilibus.Contra; ſi polus ſit, & non ſit pars cęli , aut ergo eſt ſubſtantia corporea,vel incorporea. Si corporea , eſt diuiſibilis, ergo non indiuiſibilis, ſi ſubſtantia incorporea , ergo eſt intellectualis,& per conſequens eſſet intelligentia,& ita intelligentia eſſet polus cęli, quod eſt ridiculũ,& per conſequens impoſſibile eſt ponere tale accidẽs indiuiſibile,vel talem ſubſtantiã,quę ſit polus.Et ideo quicquid eſt in cęlo,ſiue ſit accidens,ſiue ſubſtãtia,eſt diuiſibile,& per conſequens mobile, ſicut dicit Com.in de cęlo,& mun.Ideo alii magis veridici dicũt,quod quãdo aliquid tale corpus mouetur circa quieſcens,non manet idem locus numero;ſed alius;& alius numero per ęquiualentiã ideo dicũt,quod locus eſt alius,tamen dicũt quod locus eſt immobilis,quia nullo modo põt moueri locus; ſed quãdo ſuperficies mouetur,ille locus corrũpitur,& illa eſt relatio,quę corrũpitur ſubiecto illo moto localiter.Iſta opinio eſt vera quatũ ad hoc,quod ponit, quod eſt alius locus numero in tali caſu, quando corpus circũdans locatũ mouetur localiter.Sed quantum ad hoc,quod ponit, quod locus corrũpitur per hoc,quod ſubiectũ mouetur localiter, falſa eſt, & procedit ex falſa imaginatione, ſcilicet, quod locus ſit quędã relatio diſtincta realiter à locante , ſicut oſtenſum eſt alibi,quia Phil. nullã rem talem ponit,& hoc etiã eſt falsũ ſecundũ ſic opinãtes, quia ſi locus ſit talis relatio , ſequeretur quod locus nõ eſſet in genere quãtitatis,quia ſecundum eos nulla res eſt in diuerſis prędicamentis.Et ſimiliter talis relatio nõ eſt vltimũ corporis continentis,ergo non eſt locus , & per conſequens, non obſtante quod talis relatio deſtruatur,non ſequitur locum corrumpi.Et per conſequens non ſequitur locum eſſe immobile immobilitate oppoſita motui locali.Similiter nulla proprietas loci cõuenit tali relationi,quia nec continet tale locatũ, nec eſt ęqualis tali locato, quę tamen ſunt precisẽ de ratione loci .Ideo de virtute ſermonis propriẽ loquendo debet concedi quod locus eſt mobilis, quia nihil eſt in iſtis inferioribus generabilibus, & corruptibilibus, quin ſit mobile motu locali per ſe , vel per accidens,quia omne, quod eſt in iſtis inferioribus,vel eſt ſubſtantia,vel accidens . Si ſit

Secunda opinio de immobilitate loci.

ſit ſubſtātia, ſiue ſit materia, ſiue forma, ſiue compoſitū, adhuc eſt mobile, patet inductiuē. Si aūt ſit accidens, & ſuū ſubiectū ſit mobile, eſt mobile per accidens. Et ideo locus oportet eſſe mobilē per ſe, vel per accidēs. Et propter hoc dicit Com. c. 41. quod locus non eſt continens imobile, niſi per accidēs. Eodē modo dico quod quando aliquid circa aliquod quieſcens cōtinue mouetur, corpus circundatum continue eſt in alio loco, quia corpus circūſtans, ſicut onero ſum eſt prius eſt locus, ergo ſicut eſt aliud, ita eſt alius locus. Verūtamen pro intentione Phi. eſt ſciendū, quod Phil. intendit dicere, quod locus eſt immobilis per ęquiualentiam, hoc eſt, quod tantū valet locus ad ſaluandū omnia, quę ponūtur de loco, ac ſi realiter eſſet immobilis, & ita poſſunt in eodē loco ſibi ſuccedere diuerſa corpora loco mutato, ſicut poſſēt, ſi locus eſſet immobilis. Similiter eſt de omnibus cōditionibus propriis ipſius loci, quod ita poſſūt ſaluari, ſicut ſi locus eſſet immobilis ſimpliciter, & nihil aliud intelligo per locū eſſe immobilē ſecundū æquiualentiā. Vnde quādo aliquod corpus eſt ſecundū vnā partē in aliquo corpore, & ſecundū aliā in alio corpore alterius ſpeciei, ſicut ſi lignū infigatur in luto alicuius fluminis, vna pars cōtinetur ab aqua, & alia à terra, & alia ab aere, eſt idē locus ſecundū ęquiualentiā. Similiter, quādo aliquo corpore quieſcente, corpus circundās mouetur cōtinue, eſt vnus locus per ęquiualentiam, ita quod ad ſaluandū quietē corporis locati, & alia, quę dicūtur de loco, & locato, tantum valēt iſta loca diſtincta numero, & nō plus. Et hoc eſt ipſa loca diſtincta eſſe vnū numero locum per ęquiualentia. Et hoc intelligit Com. quādo dicit in diuerſis locis quod locus eſt immobilis ęqualiter, intelligit enim locū eſſe immobilē ęqualiter per ęquiualentia. Et ſi dicatur quod omne quod cōtinue eſt in alio loco, & alio, mouetur localiter. Dicendū quod non, ſed ſolū illud corpus, quod taliter ſe habet, quod eſſet in alio, & alio loco, etiā ſi locus eſſet immobilis vere mouetur localiter, & ita non eſt in propoſito. Nā iſto caſu poſito ſi locus eſſet immobilis, continue eſſet in eodem loco de facto, quāuis poſſet eſſe in alio, & hoc intendit Phil. quādo dicit quod locus eſt ſicut vās intrāſmutabile, quia ſicut vas pōt tranſmutari, quāuis ſecundū ęquiualentia maneat immobile reſpectu aquę, vel alterius contenti in vaſe. Si dicatur quod ſi locus eſt immobilis ſecundū ęquiualētiā, ergo eſt immobilis. quia arguitur á determinabili ſūpto cū determinatione ad ipſū per ſe ſumptū. Dicendū quod cōſequentia nō valet, quia immobile ſecūdum ęquiualentiā eſt cōe ad mobile, & immobile, ſicut albū ſecundū dētes eſt cōe, quia aliquis ſecundū dentes eſt albus, & eſt etiā albus, aliquis vero nō eſt albus, & tamē eſt albus ſecundū dētes, & ideo cōſequentia non valet. Itē quādo dicit Phil. quod fluuius totus eſt magis locus nauis, quā pars fluuij, nō eſt intelligendū de virtute ſermonis hoc eſſe verū, cū totus fluuius ſit tātū locus cōmunis nauis, & per cōſequēs nō eſt locus nauis, niſi propter partē, & ideo non eſt magis locus, quā pars: ſed intelligit quod aliqua conditio loci magis cōpetit toti fluuio, nā totus fluuius nō perdit totū locū, & acquirit aliū, ſed pars ſua deperdit totū locū, & acquirit aliū, & tamē totus fluuius nō eſt locus nauis, niſi propter partē, ſed primo propter vnā partē, ſecundo propter aliā, & ita fluuius ſemper eſt locus nauis dū nauis quieſcit, non ſic aūt aliqua pars eſt locus. Et hęc eſt ratio, quare magis totus fluuius eſt locus nauis, quā aliqua pars. Alia eſt ratio, quare magis totus fluuius dicitur magis locus, quā aliqua eius pars, quia naue quieſcente, & fluuio nec aucto nec diminuto, ęqualis eſt diſtantia in toto tēpore quietis nauis inter vltimas partes fluuij, & ipſā nauim, quāuis fluuius in diuerſis tēporibus habeat diuerſas partes vltimas, nec eſt ſic de aliqua parte fluuii, quę eſt prius locus nauis. Et ſic per iſtā rationē pōt aſſignari ratio, ſeu cauſa, quare aliquid dicitur eſſe in toto cęlo, quia ſcilicet corpore quieſcēte ęqualis eſt diſtātia ad omnes partes vltimas cęli, ita quod omni hora eſt verū dicere, quod corpus tantū, vel tantū accepta aliqua determinata quantitate menſuretur, & hoc corpus æqualiter diſtat ab omnibus partibus vltimis cęli, & propter iſtā rationē dicitur corpus quieſcere in terra quantūcūq; tā cęlū, quā aer mouetur: verbi gratia ponatur gratia exēpli corpus quadratū, & ſit vna pars

Quomodo ſit audiēda loci mobilitas.

Quomodo fluuius ſit magis prius locus nauis quam pars.

pars eius, a. ſecunda, b. tertia, c. quarta, d. Si tūc a. diſtat à partibus ſuperioribus per centum miliaria, & b. diſtat tantundē à partibus dextris, & ſic de alijs, & tunc dico quod hęc erit vera, hoc quadratum quieſcit, ſiuè cęlum moueatur, ſiue non, dummodo non moueatur motu recto, ſed motu circulari. Et ita bene ſaluabitur quies illius corporis, & ęqualis diſtantia ad cęlum, ſi quęlibet pars cęli moueatur circulariter, ſicut ſi non mouerētur, & ſicut ſi eſſent poli immobiles, ſicut aliqui imaginantur, & ideo immobilitas polorum nihil facit. Et ſi arguitur contra prædicta, quod locus non poteſt moueri, quia tunc locus eſſet locatus. Dicendum quod locus verè mouetur, & verè eſt in loco. Aer enim verè eſt locus alicuius, & tamen verè eſt in loco, ſicut qui continetur ab alio, non tamen eſt in loco per vltimas partes contiguas locato, ſicut non continetur ab alio manentibus illis partibus, quibus illæ partes vltimæ, & omnes partes vltimę contigantur alteri, ſed per eas continent, & non continentur, & hoc ſufficit ad intentionem Philoſophi. Et ſi dicatur quod omne, quod mouetur, requirit aliquem locum, in quē recipitur, ſed locus non mouetur per partes non contiguas corporis continentis, & mouetur per partes contiguas contento, per quas eſt locus, ergo per iſtas verè acquiret locum aliū, & ita locus ex ea parte qua eſt locus verè in loco eſſet. Dicendū quod nō omne, quod mouetur, acquirit aliū locū quantum ad omnes partes ſuas, & ideo non mouetur, niſi quantū ad ſuas vltimas partes, quibus contigatur contento, quibus acquirit alium locū. Sed poteſt moueri dupliciter per iſtas partes, quia aliquando tales partes per hoc, quod mouentur, cōiunguntur localiter vt cūm primò partes aeris concurrunt, quādo auferuntur à corpore, quandoq; circundabant. Aliquando vero partes non coniungūtur, ſed remanentes ſemper ęqualiter diſtant. In primò caſū partes iſtę vltimę quę primò erant contiguę locato, mouentur, vt ſint in alio loco, & non vt ſiant locus alterius, quia ex hoc ipſo quòd coniūguntur, nō ſunt locus, quia nihil ab ipſis continetur. In ſecundo caſu non mouentur partes iſtę, vt ſint in alio loco, ſed vt ſint locus alterius; ſicut, ſi aer continue fluat à ligno, cuius eſt primò locus, ad lapidē contiguū illi ligno, mouetur, vt ſit locus lapidis, qui prius erat locus ligni, & è conuerſo. Et ita patet quod locus eſt vere mobilis, eſt tamen imobilis per ęquiualentiam, quia ad ſaluandū multa, quę de loco dicuntur, ſufficit, quod locus eſſet imobilis, & maxime ad ſaluandum motum, & quietē corporis naturalis, propter quę duo maximè ponitur locus, ita enim poſſunt ſaluari tam motus, quam quies corporū ſi locus eſſet imobilis, ſicut ſi eſſet mobilis. Immo etiam, niſi aliquis locus eſſet mobilis motu circulari, ſicut cęlum non poſſet eſſe motus, & quies corporum Et hęc eſt intētio Phil. & Com. & non alia. Et iſto modo poſſunt gloſari omnes auctoritates Phil. & Cōm. quę videntur eſſe contrarię. Vnde nō eſt intellectus Phil. dicere, quod locus eſt ſimpliciter imobilis, ita quod nullo modo poſſit moueri. Nam vltimum cęlum ſecundum eum eſt mobile, & tamen eſt locus, quia cum motu recto non moueatur, ſed tantum circulari, ſufficit quantum ad hoc quod ſaluetur imobilitas loci, quia quantū ad hoc nihil refert, quod ſit mobile motu circulari, vel nō. Et ſimiliter eſt dicēdum de medio, quod nihil refert quod ſit ſimpliciter mobile, vel imobile, dūmodo illud, quod eſt in medio mundi, ſecundum ſuas partes vltimas ſemper ęqualiter diſtet à partibus cęli ſuperioribus, & alijs. Et ideo identitas loci per ęquiualentiam in iſtis inferioribus attendenda eſt per ęqualem diſtantiam ad partes cęli ſuperiores, & inferiores, & nihil refert quod moueatur circulariter, vel non quantum ad hoc dūmodo nō moueatur motu recto. Item nota quod immobilitas, & identitas loci per ęquiualentiam, non eſt attendenda ex medio mundi, niſi quia primò attednenda eſt ex immobilitate cęli motu recto, quia enim cęlum non mouetur, nec ſuperius, nec inferius, ideo dicitur medium mundi eſſe immobile per ęquiualentiam, quod tamen vere eſt mobile, quamuis terra ſecundum ſe totam nunquam moueatur. Et nota quod locus ſurſum, & locus deorſum acci-

ſū accipiendi ſūt in cōparatione ad centrū, & ideo immobilitas vnius indiuiſibilis centri ſecundum quod aliquis imaginatur, nihil facit ad hoc, quod vnus locus ſit ſurſū & alius deorſū, nec ad hoc, quod locus ſit immobilis, vel idem, ſed hoc ſolū, quod centrū non mouetur motu recto. Et ideo omnis locus, qui plus appropinquat vltime parti centri, qua alter, eſt locus deorſū, & alter ſurſum. Itē nota, quod ſicut dicit Ph. l. 4. Phyſic. in principio cap. de loco, vas eſt vere locus, & vere mobile. Vnde locus, & vas nō differunt, niſi ſecundū ſuperius, & inferius, nec alia differentia intēdit Ph. l, & Com. dare inter locū, & vas. Et ſi dicatur, quod ſi vas eſſet propriè locus, verè quando aliquid moueretur ad motū vaſis, vel nō moueretur, vel manēs in eodē loco, moueretur. Dicendū eſt quod tale motū vere eſt in eodem loco ſibi proprio, quādo tamē idē locus nūo eſt in diuerſis per æquiualentia: hoc tantū valet ad hoc, quod corpus exiſtens in eo moueatur, ac ſi eſſet aliud, & aliud vas, & alius, & aliūs locus, & ideo cōcedo, quod idem manens in eodē loco proprio mouetur, nō tamē manet in eodem loco cōmuni, nec iſte idem eſt vnus numero per æquiualētiā, ſed eſt plures per æquiualentiam, ſed nec iſte locus eſt in eodem loco num. ſed mutat locum, & ideo exiſtēs in eo mouetur localiter. Vnde in talibus eſt magis difficultas vocalis, quā realis, & magis pōt deduci ad incōueniens vulgo, quā ſapientibus. Itē notandū quod hoc nomen locus, eſt nomen relatiuū ſecundū Com. & tamē illud de quo verificatur hoc nomē locus, eſt vere quantitas, & propter hoc ponit Phi. locū in genere quātitatis in Libro Prędicamentorū; ſed quia hoc nomē locus eſt propriè relatiuū, ideo nō ponitur per ſe in genere quātitatis, ſed per accidens, quādo dicit. Amplius prẹter hoc tempus, & locus. Itē nota vltimo ſecundū opinionem Com. c. 43. quod cęlū eſt in loco per accidens, & ita quod æquiuocè dicitur cęlū eſſe in loco, & alia corpora. Verū tamen diffinitio, quam dat Phil. de loco, nō cōpetit cęlo per ſe, nec per accidens, quamuis enim hæc ſit vera cęlum eſt in loco per accidens, hæc tamē eſt falſa, cęlum eſt in vltimo corporis continētis per accidens, quia nec eſt in vltimo per ſe, nec per accidens. Et propter hoc dicit Com. quod hęc diffinitio, quam dat de loco, eſt impoſſibile, quod ſit cōmunis omni corpori ſimplici circulari, & rotundo, ſcilicet vltimo cęlo. Si tamē iſta diffō competeret vltimo cęlo, omnis diffinitio loci eſſet ſaltem prędicabilis de cęlo per accidens. Et ita patet quod vltimū cęlū, & alia corpora ęquiuocè ſūt in loco, & cęlū eē in loco per accidens nō eſt aliud, quā cęlū cōtinere aliquod quieſcēs, quod eſt in loco per ſe tāquā continente ipſū. Et propter hoc dicit Com. quod omnes expoſitores non potuerūt attingere hanc expōnem, quia ipſi accipiūt eſſe in loco ſecūdū diffinitione Ariſt. volētes quod eſſe in loco cōpetat primę ſphęrę, & tamē nullo mō ſibi cōpetit diffinitio data ab Ariſt. Itē nota quod Com. in hoc com. non vocat centrū aliquod indiuiſibile immobile exiſtēs in medio mūdi, ſicut aliqui imaginantur & falsē, ſed vocat centrū corpus quieſcēs ſecūdū omnes partes ſuas diſtās a cęlo ęqualiter. Vnde dicit, quod non eſt ibi quies propter quietē cētri, quod eſt terra, & ita ter. ā dicit eſſe centrū. Itē cęlū eſſe in loco per accidēs nō eſt aliud, quā cęlū eſſe cōtinens centrū, circa quod mouetur ita, quod aliter partes cęli apropinquātur iſti parti terrę quieſcētis quā prius, & ſic de aliis, & hoc eſt cęlū moueri per ſe localiter; quia aliter ſecundū partes appropinquatur ad quieſcēs, quod per ſe eſt in loco, ſeu tamen centrum, ideo eſt per ſe in loco, quia habet aliquid continens ipſum. Veruntamen hoc eſt ſciendum, quod quamuis corpus cęleſte moueatur circa terram quieſcentem in medio mundi, tamen nihilominus hoc poſito quod terra moueretur nō minus centrū mouetur, & tūc de facto nō moueretur circa aliquod quieſcens, & tamē tunc moueretur, quia taliter ſe habet, quod ſi aliquod quieſcēs eſſet in medio partes ſuæ diuerſimodè approximarentur cōtinuè partibus quieſcentibus illius. Et per iſtū modū poſſet ſaluari quō cęlū mouetur circa terram quieſcentem, & quomodo cęlum eſt in loco per accidens. Et hęc dicta de loco, & eius diffinitione, & ex conſequenti de toto opuſculo ſufficiant.

De loco vltimę ſphæræ.

Quomodo intelligatur quod cęlum ſit in loco per accidens

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

R. BIBLIOTECA